Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann August Ernesti

Initia Doctrinae Solidioris ... Complexa Avctore Io. Avgvsto Ernesti A. M.

Pars Secvunda : Dialecticam, Ivs Natvrae, Ethicam Et Theologiam Natvralem

Lipsiae: Martini, 1735

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362

Band (Druck) Freier Zugang

PUBLIC DOMAIN

Pr 708. p. Ind.

18. 9.

6 Sngf

A 43054.

Ua

XIX. rec. IX. n. 22.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn814420362/phys_0002
DFG

1489

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0003
DFG

INITIA DOCTRINAE SOLIDIORIS

PARS SECVNDA

DIALECTICAM, IVS NATVRAE, ETHICAM ET THEOLOGIAM NATVRALEM COMPLEXA

AVCTORE

IO. AVG. ERNESTI A. M.

LIPSIAE
SVMTIBVS IO. CHRIST. MARTINI
MDCCXXXV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0005
DFG

PRAEFATIO.

IN praefando alteri huic Initiorum noſtrorum Parti, quae propter laborum, quibus hic annus nos exercuit, multitudinem nunc demum prodit, quoniam pleraque in ſuperioris Partis Praefatione dicta, huic quoque communia ſunt, breues eſſe poſſumus.

Conſtitueramus hac Parte, ut in primae Partis Praefatione diximus, Dialecticam, Doctrinam morum, Theologiam naturalem et Rhetoricen comple-

cti. Sed mutauimus deinde consilium, propterea, quod, quos constitueramus huic Parti limites, Rhetoricen non capere videbamus, nisi breuior multo, quam volebamus, esset; inprimis cum, suadentibus amicis, decreuissemus ei Poeticae artis elementa subiicere, vt non solum, quae ad Oratorum, sed etiam Poetarum sublimitatem, pulchritudinem, et suauitatem, totamque eorum artem percipiendam cognoscendamque pertinerent, breuiter traderentur. Nam etsi neque Orator fieri, neque Poeta quisquam potest, dum in scholis eruditur; sensim tamen paullatimque adsuefieri etiam haec aetas priscis et Oratoribus, et Poetis, ad artis regulas exigendis debet, sine quo eorum perfectio et pulchritudo intelligi non potest. Itaque hanc quidem de eloquen-

tia

tia tractationem ab hoc Opusculo seiunximus, et eam singulatim, cum artis Poeticae praeceptis, cum primum per cetera negotia licebit, edere constituimus.

Visum etiam est Theologiam ei, quae est de officiis & moribus, parti postponere. In quo quidem veteres secuti sumus auctores, qui Deo in vniuersa hac doctrina non vtebantur. Cum enim rem quamque per se et natura sua bonam esse malamue intelligerent, facileque viderent, e notionibus perfectionum diuinarum, potentiae v. c. scientiae, iustitiae, ceteris, non posse, quare bonum quidque malumue sit, colligi, Deum ab hac doctrina plane seiungebant. Quare cum nos quoque bonum et malum non a voluntate diuina, sed ab ipsa rerum natura arcessimus, licebat vtique

Doctrinae de Deo hanc, de officiis et moribus, praemittere, inprimis cum commodi aliquid habere videretur, his, quae ad ingenium excolendum pertinent, ſtatim, quibus animi cultura et perfectio continetur, ſubiici. Neque vero tam impudentem quemquam, aut tam iniquum, tam nihil neque videntem neque intelligentem putamus fore, qui hoc a nobis agi putet, ut Deum a lege naturae eiusque auctoritatem remoueamus. Quid enim abſurdius, non dici modo, ſed cogitari poteſt, quam, quem vniuerſae naturae auctorem facias, eum non legum naturalium etiam auctorem putare? Ac ſi cui ejusmodi quid ſuſpicionis incidat, facile id omne, quae in Theologia naturali in hanc rem dicta ſunt, diluent.

Vehe-

Vehementer disputatum est, vtrum ab ipsa rerum natura, an a voluntate diuina repetendae sint legum naturalium caussae. Ac olim quidem, cum apud Graecos Archelaus, Sceptici aliique nullam rem natura sua bonam esse malamue, sed lege demum ac voluntate superioris fieri, decernerent, cum illis temporibus, tum postea etiam a Theologis Christianis, iure an iniuria, parum equidem nunc dixerim, omnes inter hos relati sunt, qui diuinam naturam plane tollunt. Eadem fortuna vsus est, qui superiori seculo hanc sententiam recoxit Pufendorfius, et omnem legum naturalium vim a voluntate diuina repetendam putauit. Vniuersum enim Theologorum, qui Orthodoxi dici haberique volebant, agmen, vt de ceteris taceam, in eum insurrexit, atque hanc sententiam

non inter errores solum retulit, sed impietatis etiam accusauit. Cum autem ea sententia ita paullatim inualuisset, ut alteram, antiquam illam, loco suo pepulisse, omnemque ei auctoritatem detraxisse videretur, existerentque deinde superioribus annis, qui eius caussam in se susciperent, eamque in dignitatem asserere pristinam conarentur, ita cum illis Pufendorfianae sententiae assectae egerunt, vti olim cum Pufendorfio actum a Theologis erat. Adeo etiam de sententiis Philosophorum valet, quod de vocabulis Horatius in arte Poëtica dixit: Multae renascentur, quae iam cecidere, cadentque, quae nunc sunt in honore, sententiae; si volet vsus, quem penes et sentiendi ius et norma est.

Sed

Sed quod in plerisque controuersiis, id in hac etiam de cauſſis legum naturalium accidit, magis vt verbis ſententiae, quam re diſcreparent. Nam quod ad hos quidem attinet, qui Pufendorfii auctoritatem ſequuntur, et leges naturales a voluntate diuina arceſſunt, dum omnium legum rationes ex ipſa rerum natura repetunt, et in omni demonſtratione, quare bonum quidque ſit malumue, non ad voluntatem Dei, a qua ne duci quidem demonſtratio poteſt, ſed ad actionum effectus naturales et neceſſarios confugiunt, tacite confitentur, ex ipſa rerum natura cauſſas legum naturalium duci oportere. Quod ſi

nullam rem per se bonam malamue putarent, omnis omnium legum demonstratio his verbis contineretur: *Quia Deo ita placuit*, et quae honesta nunc sunt, vt temperantem esse, laborioſum, castum, possent etiam turpia esse, quod nemo concedet. Itaque, quod verbis negant, re largiuntur. Qui contra per se quamque rem bonam malamue esse docent, nisi non modo stupidi, sed impii esse velint, concedant omnes necesse est, has leges a Deo perlatas esse. Nam cum has, quae sunt, res esse Deus voluit, has etiam, quae sunt, leges esse voluerit, necesse est. Sed diuina voluntas non est, qualis tyrannorum esse et hominum

insa-

insanorum solet, vt velit, quia vult, sine vlla ratione, vnius potestatis demonstrandae caussa, quod eius sapientiae vehementer repugnat, sed sapientiam in consilium adhibet et sequitur. Itaque quas leges generi humano constituit, propterea constituit, quia rerum natura alias omnes respuit, minimeque dignum Deo est, alias dare, quam quas rerum natura et essentia exigit et desiderat.

Etsi vero sententiis vtrumque genus minime discrepat; habet tamen hoc posterius prae altero hanc praerogatiuam, quod, quae duo virtutum genera a Pufendorfianis confunduntur, recte discernat, naturalem scilicet virtutem,

et

et eam, quae cum pietate coniuncta est, et Theologica a nobis appellata est. Id propterea accidit, quod, qui leges naturae ab ipsa rerum natura repetunt, et Deum naturae auctorem, adeoque etiam legum naturalium faciunt, non possunt non videre, duabus quamque legem de caussis seruandam esse: quarum altera haec est, quod rerum, nostraeque adeo naturae et saluti consentaneum, altera autem, quod Deo id ipsum iubenti parendum sit; quod secus est apud hos, qui vnam Dei voluntatem adhibent. Atque haec caussa fuit, quare nos veterem potius rationem, quam Pufendorfianam secuti sumus.

In

In totius morum Philosophiae ordine et descriptione veterem rationem retinuimus, quam Seneca Epistola nonagesima quinta explicauit et defendit. Cum enim essent, qui hanc partem Philosophiae, quam Graeci παραινετικὴν vocant, Seneca praeceptiuam dicit, quia in praeceptis versatur, satis esse ad sapientiam consummandam putarent, in ea epistola fuse praeclareque ostendit, eius partis nullam vim esse, nullam dignitatem, nisi altera illa δογματικὴ, quae decreta de bono et malo, fine bonorum et malorum, virtute, vitio ceteris explicat, adiungatur, ex qua praecepta ducantur, quaeque ita ad prio-

priorem illam, vt radix ad ramos arboris, referatur. Has duas partes Ius naturae, more aetatis noſtrae, appellauimus. Eis adiunximus tertiam, quam olim Poſidonius etiam praeceptionibus adiectam volebat, teſte eodem Seneca, quae in ſuaſione, conſolatione et exhortatione verſatur, cuiusque haec vis eſt, vt ad praecepta ſeruanda, et mores honeſtos aſſumendos impellat nos et commoueat, et virtutis adiumenta et ſubſidia, vitiique remedia ſuppeditet.

Iam facile intelligo, fore, qui eam rem non per ſe quidem magnopere reprehen-

prehendendam esse, in hoc tamen valde nos errare existiment, quod, quicquid honesti et iusti est, id omne ad Ius naturae referendum putemus, cum, quae ad nostram potius, quam alienam vtilitatem spectant, itemque, quae, nisi sponte praestentur, vi exigi nequeunt, vt stipem erogare, famae aliorum consulere, cetera, Iuri naturae subiecta esse non possint. Sed quoniam haec reprehensio ab ea obligationis et iustitiae distributione ducitur, quam suo loco p. 38. quia non a natura, sed e Iure Ciuili repetita est, reiecimus, in hac reprehen-

prehenſione diſſoluenda non eſt, quod hic laboremus.

Haec fere ſunt, quae monenda nobis viſa ſunt. Vehementer optamus, vt ab hac qualicunque opella noſtra magna ad iuuentutem vtilitas redundet.

DIALE-

DIALECTICAE
ELEMENTA.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0021
DFG

PRAEFATIO.

QVae sunt animis nostris a natura facultates attributae, ad duas commode referri tanquam ad capita sua possunt, alteram cognoscendi, et appetendi alteram; quod quidem ex his intelligi potest, quae sunt de mente humana in superioribus tradita. Quare, cum in colenda perficiendaque mente praecipua hominis opera versari debeat; qua via et ratione id studium procedere debeat, quae regulae sint et cautiones adhibendae, Philosophiae praecipuum munus est docere. Diu autem expoliendae cognoscendi facultatis nulla peculiaris ars et disciplina fuit, sed aut solum Geometriae studium ad eam rem perficiendam adhibuerunt homines veri cernendi cupidi, aut in ea, quam sua cuique natura tribuerat, sollertia acquieuerunt, quam *Logicam naturalem*, sunt, qui dicunt; donec etiam, Aristotele inprimis auctore, ars et ratio accessit, et ad disciplinae formam habitumque redacta est rationis cultura, ita, vt, qui ad eius auctoritatem se contulerant, omnes et inueniendi et iudicandi vias diligenter persequerentur. Nam cum viderent, esse aliquam rationem debere, quare verum quidque sit, et quare sit in ratiocinatione minime a vero ab-

erratum, vt ea res ad alia quoque prodeſſet, operam dabant, vt rationes iſtas deprehenderent, et formulis quibusdam ac quaſi legibus complecterentur modum, quo eſſet verum inuentum. Atque hoc ſtudium aliquandiu continuatum peperit nobis atque effecit eam Philoſophiae partem, quam *Logicam*, eamque *artificialem* ſeu *Dialecticam*, dicimus.

2. Eſt autem *Dialectica*, vt breuiſſime definiamus, nihil aliud, niſi quaedam veri et falſi ſcientia. Summum itaque eius munus eſt, quid in quaque re verum ſit, videre et intelligere, et, quid falſum ſit, et a vero alienum. Sed veri videndi non vna ratio eſt. Nam aut ſuo cuiusque ingenio et ſollertia deprehenditur, aut iam ab aliis inuentum, et nobis quaſi per manus traditum intelligitur et cognoſcitur: Ex quo duplex illa in veri ſtudio verſandi ratio naſcitur, quarum altera in inuentione, altera in diiudicatione veri ineſt. Huic autem Logicae muneri implicatum, et quaſi intertextum alterum eſt, quod agnoſcendo falſo continetur, quod male definita et diſtributa reprehendit, male ſumta aut male concluſa redarguit, incredibilia reiicit. Nam qui, quid verum ſit, videt, non poteſt non idem etiam ſimul, quid a vero abhorreat, perſpicere. Quoniam autem ſcientiae haec vis eſt, vt certam quandam cognitionem praeſtet, et adhibeat illam omnis certi opifi-

opificem et effectricem demonstrationem (Psychol. §. 53.) facile colligitur, in tradendis Dialecticae praeceptis esse demonstrationis legem sequendam.

3. Sed verum omne id dicitur, quod est, aut per se, aut simul etiam cum conditione quadam et adiunctione, possibile, et nihil quicquam repugnantiae habet; falsum autem, quod quacunque ratione repugnat (ontol. §. 32.) Itaque haud obscurum est, Dialecticae, quae est, vt diximus, omnis veri et falsi disceptatrix et iudex, summum munus esse, docere, quomodo, quid consentiens sit et cohaerens, quid a repugnantia liberum, et quid minus eiusmodi sit, intelligi possit. Quod quidem, qua ratione fiat, quibus regulis et legibus efficiatur, considerabimus.

4. Facultatis autem cognoscendi, qua regulis quibusdam subiecta esse et adstricta potest, tria munera sunt: primum formandarum effingendarumque notionum; alterum iudicandi; tertium ratiocinandi. (Psychol. §. 39.) Quam ob rem tria potissimum erunt Dialecticae proposita, et quasi obiecta, in quibus elaborandis versetur: primum, quae in notionibus formandis; alterum, quae in iudicando; tertium, quae in ratiocinando regulae obseruari debeant; ad quae tria, tanquam ad capita, referri cetera omnia possint. Haec nos, quam breuissime res patitur, docebimus.

CAP. I.
De Definitionibus.

5.

IN omni re, quoniam, quod verum falſumue ſit, iudicari non poteſt, niſi, qualis res, quaque natura ſit, intelligatur (ontol. §. 32. coll. 4.) hoc eſt, niſi diſtinctam eius notionem comprehenſam animo habeas et inſignitam; a tradendis notionum efficiendarum regulis initium faciunt, qui hanc intelligendi veri artem tradunt. Eae autem notiones, quae ſeruire videndo vero debent, perfectae, et omnibus partibus abſolutae ſuis ſint, neceſſe eſt (Pſychol. §. 5.) ſi, quicquid rei tribui recte negarique poſſit, ſcire velis. Nam, vt hoc vtar, quomodo, qui vnam hanc quadrati proprietatem tenet, quatuor id lateribus, iisque parallelis, comprehendi, quomodo, inquam, intelligere poteſt, verumne ſit, angulum externum eſſe aequalem iuncto ipſi interno, nec ne? Sed notiones, vbi verbis explicantur, definitiones dicuntur. Eſt itaque *definitio* notio rei diſtincta et plena, eaque verbis expreſſa et declarata; vt, cum, quas ſenſu et conſideratione trianguli et phantaſiae conſecutus notiones ſis, ita verbis enuncies: triangulum eſſe figuram tribus lineis comprehenſam; et phantaſiam eſſe facultatem inſtaurandi

randi ideas rerum absentium sensu olim haustas et perceptas; definitiones trianguli et phantasiae attulisse dicare.

6. Sed qui hanc nobis tradiderunt artem, definitionum duo genera fecere; alterum earum, quae nomina rerum, alterum autem harum, quae res ipsas explicant et declarant: quarum illas quidem *verborum*, has *rerum definitiones* dicunt. Neque tamen omnino eandem vim his vocabulis subiiciunt omnes. Qui scholasticos Philosophos sequuntur duces, *verborum* definitiones plane grammaticas faciunt, et ad Lexicon totas pertinentes, *rei* autem eam dicunt, quae §. 5. definita est. Verbi autem definitionem allaturi, primum, quam originem habeat, a quibus aliis vocabulis simplicioribus profectum sit, ostendunt, quam ἐτυμολογίαν, *notationem*, dicunt; deinde ab aliis rebus eam rem studiose segregant, et secernunt, quibus idem nomen linguae vsus attribuit, quod ὁμωνυμίας est; tertio alia, quae adhiberi nomina rei solent, afferunt, quod συνωνυμίας est; tanquam, si *momentorum* illud genus definiendum sit, quod ad animum pertinet, dicunt, esse a mouere, vt sit quasi mouimentum, id, quo res moueatur, quo efficiatur, vt librae lanx altera descendat; idem autem nomen de ictu oculi, de particula et articulo temporis, de eo omni, quod habet quandam in aliqua re vim,

adhiberi; denique, quod momentum voluntatis dicatur, etiam argumentum, rationem agendi etc. dici posse. Atque huic rei peculiarem in dialectica locum attribuêre, quem barbaro *Antepraedicamentorum* nomine, infausto omine, dixere, quod in hoc loco, tanquam theatro quodam apparitura summa barbaries erat. Namque ea res ingentem numerum notationum peperit, quas sine risu nemo non stultissimus audire aut legere potest.

7. Sed vt dicamus id, quod res est, non potest certe negari, cognitam vocabulorum originem interdum magnam, interdum aliquam saltem ad declarandam verborum notionem vim habere. Neque tamen et illud inficias ire quisquam potest, valde lubricam esse et fallacem eam indagandarum notionum rationem, quae verborum origines sequitur, saepissime etiam plane nihil ad intelligendam eorum vim valere. Nam primo constat inter omnes, verborum significatus primos saepe esse inconstantia vulgi mutatos, vt alia sensim paullatimque iis potestas subiecta sit, quae aut parum, aut nihil origini respondeat, nulloque modo possit ex notatione intelligi: deinde vocabula saepe eiusmodi esse, vt vel absentiam alicuius rei indicare ex notatione videantur, cum tamen aliquid in re positum significent; vel aliquid in re positum significare, si originem respi-

cias,

cias, videantur, cum vacuitatem ab aliqua re indicent, vt, mortalis et immortalis, quorum illud videtur rem aliquam, quae sit, significare, hoc, absentiam alicuius rei, cum longe aliter sit: denique vocabula saepe videri indicare substantiam aliquam, si Grammaticam sequare, cum tantum relationem aliquam, aut eiusmodi quid significent, quod soli intelligentiae subiectum est; vt tempus, spatium, mors, frigus, cetera. Homonymia autem et Synonymia ita comparatae sunt, vt nec illa facile afferat aliquid adiumenti ad tollendam obscuritatem, neque haec ad rem rectius percipiendam intelligendamque; merito, vt omne hoc verborum explicandorum studium, quod non volumus omnino reiectum, Grammaticis relinquatur.

8. His rebus moti recentiores Philosophi, et Mathematici inprimis, coeperunt paullo aliter verborum et rerum definitiones exponere; vt illae scilicet sint, quae notiones distinctas et plenas afferant; hae autem, quae essentiam rei declarent, quoque res modo fieri et oriri possit, ostendant, (v. Prolegom. §. 25.) quos quidem non videmus quare non potius sequamur, quam qui priorem rationem amplectuntur. Posterius autem definitionis genus quidam etiam *geneticum*, item *reale causale* dicunt.

9. Iam, generibus definitionis expositis, ad vtriusque generis regulas veniamus. *De defi-*

niendorum verborum modo autem hoc primum praecipiunt; quoniam definitio ad notiones rerum distinctas et perfectas, h. e. quibus eae ab omnibus aliis discerni possunt (Psych. §. 4. 5.) declarandas comparata est; *cum sumseris ea, quae sunt rei, quam definire velis, cum alia quacunque communia, non in iis subsistere, sed vsque eo persequi, donec efficiatur aliquid eiusmodi, quod sit rei ita proprium, vt in aliam nullam cadere aut transferri possit.* Vt hoc, quadratum est figura, est ad notionem distinctam satis, vt possis a multis rebus discernere, quae figurarum numero ac loco non sunt; sed non ad plenam; est enim commune cum multis. Adde igitur hoc: quadrilatera. Hoc etiam ad rectiangulum et rhombum transferri potest. Perge: aequilatera. Ne nunc quidem definitio est. Sed si vnum addideris hoc: aequiangula, perfecta est, et numeris suis absoluta. Item vt illud: Libertas est facultas appetendi aliquid. Parum est. Sua sponte. Nec hoc satis est. Ex pluribus, quae aeque fieri possunt. Abest etiam nunc. Quod maxime placet. Nunc satis est. (Psychol. §. 92.)

10. Sed hic definiendi modus in his inprimis valet, quae nihil habent peculiare, quo possint tanquam insigni quodam agnosci; vt in quadrato, quod quae habet sibi attributa, omnia singulatim cum aliis communia sunt. Ita-

Itaque, quoniam, quae rei a natura insunt, sed tamen cum aliis communia sunt, quia non a tota essentia, sed eius tantum veluti parte quadam proficiscuntur, proprietates communes appellantur (Ontol. §. 15.) efficitur, vt *ad definitionem tot proprietates communes requirantur, quot nulli alii rei simul attributae sunt.*

11. Sed praeter has proprietates communes, quaedam res etiam habent *peculiares* quasdam et ita sibi proprias, vt in nullam aliam rem cadere possint. (Ontol. §. 15.) Itaque dubium non est, quin *vna huius generis proprietas definitionem conficiat.* (Psychol. §. 4. 5. Dial. §. 5.) vt hoc: DEVS est, qui, quicquid possibile est, efficere potest. Item, vt hoc: Triangulum rectiangulum est, quod vnum angulorum rectum habet. Quare, si qua res plures eiusmodi proprietates habet, quibus potest ab omnibus aliis discerni, arbitrariae definitiones sunt, liberumque cuique esse debet, quam potissimum in definitionem adhibere velit, num v. c. velit, Deum eo, quo dictum est, modo definire, an potius hoc: Deum esse, qui huius vniuersi auctor sit. In quo tamen hoc obseruandum est, quoniam vna proprietas est ad demonstrandas reliquas accommodatior ceteris, ea potissimum vt adhibeatur, praesertim in systemate, e qua reliquae demonstrari facilius possunt: ita, Deus etiam dici potest esse qui necessario est, sed

quo-

quoniam ex hac proprietate diuina non possunt reliquae ita, vt ex superioribus demonstrari, illae in Philosophia merito huic praeferuntur.

12. Illud autem facile intelligitur, quoniam, vt aiunt, quod per pauca fieri potest, non fieri debet per plura, et vna proprietas peculiaris rei, nullaque cum alia communis valet ad eam ab omnibus aliis discernendam (§. 11.); *a definitione legitima abesse ea omnia debere*, posse certe, *quae salua hac definitionis lege abesse possunt*, quorumque absentia nihil impedit, quo minus agnosci res, et ab aliis discerni possit. Sed hoc praeceptum non in omni disciplinarum genere valet, sed in eo tantum, in quo ex definitione nominis reliqua demonstrari possunt, vbi certe vitiosum esset, omnia definitione complecti. In qua autem doctrina rerum proprietates sine demonstratione cognoscuntur, vt in Theologia reuelata, recte omnes in definitionem adhibentur, modo ex S. Codice probetur, ea rei tribuenda esse, quae definitione comprehensa sunt.

13. Porro, quoniam quod adesse et abesse a re potest, neque est perpetuo rei et necessario attributum, hoc est, quicquid ad modos pertinet, (ontol. §. 16.) non potest eam, quam diximus, vim habere, vt ad agnoscendam rem semper et vbique valeat; cogitur, *modorum nullum in legitima definitione locum esse*; tanquam,

quam, si quis hominem dicat, qui eruditione praeditus sit; quia eruditio modorum numero est, neque omnibus inest hominibus, neque eidem semper, definitionis legitimae modum eum minime esse secutum, recte diceremus

14. Ex his autem, quae de definitionis legibus diximus, apparet, recte praecipi a Philosophis, vt *in definitione genus et differentia speciei afferantur.* Nam huius praecepti nulla alia vis nisi haec est; quoniam genus similitudine formarum contineatur, ac ea complectatur, quae sunt omnibus eius formis communia, solum genus non efficere definitionem posse, sed accedere ad communia illa debere etiam, quod est cuique rei ita peculiare et proprium, vt ad nullam aliam rem transferri aut solum, aut cum ceteris certe possit; quae quidem non differunt ab his, quae §. 9. praecepimus. Illud vero etiam non magis difficulter intelligitur, non esse eam praecepti huius necessitatem, vt nunquam deseri aut migrari possit, quin vitium definitio contrahat. Nam quoniam hoc in definiendo spectatur, vt ab aliis rebus secerni res et agnosci possit, id autem interdum commemoratione vnius proprietatis peculiaris, quae non est ei cum aliis formis communis, effici potest (§. 11.); sequitur, eo loco genus a definitione abesse posse, solaque formae differentia definitionem confici; quod quidem eo magis

magis locum habet tum, cum, cui generi subiecta res sit, ignoratur, aut nullum generis certum vocabulum est, quo commode exprimi possit. v. Lock. de l' Entendement L. III. c. 3 §. 10.

15. Praeter eam autem, quam primo loco proposuimus, definitionis legem, principem illam et summam, alias quasdam afferunt, non contemnendas illas quidem, neque tamen aeque late patentes. Volunt enim primo *definitionem non tam, quid res non sit, quam quid sit, explicare:* vt, si quis quadratum dicat esse eam figuram, quae non sit tribus lateribus circumscripta, vitiosam definitionem esse dicunt. Quod quidem, quin verissimum sit, dubitari nequit, ac per se intelligi potest. Sed non valet haec in vniuersum regula; id quod recte Aristoteles vidit, qui huius generis definitiones ferri eo loco posse statuit, vbi defectus aliquis et vacuitas alicuius rei definienda sit, vt, si quis dicat, surdum esse, qui non audiat, coecum, qui non cernat res extra se positas, recte is vtrumque definiisse putandus sit. Neque tamen vno hoc rerum genere is definiendi modus cohibendus est, sed in omnium disiunctorum definitionibus altera potest esse eiusmodi, vt, quid res non sit, declaret: tanquam, si quis ἀδύνατον dixit esse, quod repugnantiae aliquid habeat, possibile autem, quod non repugnet; item, fortuitum quod aliter esse possit, necessarium autem, quod non possit;

possit; recte is et possibile et necessarium definiisse censendus est.

16. Inprimis autem hoc cauendum in definiendo est, ne *deceptrix definitio* sit, h. e. quae mentiatur veram definitionem, neque vllam notionem distinctam afferat. Definitionum autem deceptricium varia genera sunt. *Primum* et praecipuum illud est, quando aliquid repugnantiae definitioni ineſt; nam, quae repugnant, cogitari intelligique non possunt, etsi centum definitiones afferas: talis esset, si quis biangulum rectilineum diceret esse figuram planam, quae duabus lineis rectis comprehendatur; qualis figura repugnat, et fieri nequit. *Alterum* est, cum in definitione Synonyma aut vocabula ex alia lingua petita, sed eandem vim habentia, aut verba aeque obscura, aut ipsa vocabula definienda, aut coniugata afferuntur, vt si finitum diceres esse, quod omnibus partibus terminatum sit, aut, quod fines habeat, item, praesentiam diceres esse ἀδιαστασίαν. *Tertium* est, cum vocabulum translatum in definitionem adhibetur, cuius propria quidem significatio cognita est, non autem, quae ad aliam rem traducto subiici debet; quam quidem regulam migrant hi, qui obligationem dicunt esse vinculum iuris, et memoriam receptaculum idearum. Nisi enim iam teneas utriusque rei notiones, non poteris, quo sensu vinculum obligatio,

gatio, memoria receptaculum dicatur, intelligere. Etsi enim, quid proprie vinculum et receptaculum sit, scias, non tamen propterea etiam, quid in iure sit vinculum, quid in animo, re simplici minimeque concreta, receptaculum, intelligas. Haec tamen non eo valent, vt omnibus translatis vocabulis in definitione locum negemus. Nam, si satis sunt cognita, aut ante definita, minime video, quare non salua perspicuitate adhiberi possint, inprimis in oratione, in qua multum suauitatis habent. vid. Cic. Topic. c. 7.

17. Cauendum est etiam a *definitione in orbem*, seu *circulum*, h. e. ne in definitione adhibeamus vocabulum, in cuius definitione occurrat illud ipsum, quod priori definitione explicandum erat, vt si quis dicat, horam esse vicesimam quartam diei partem, diem autem spatium temporis viginti et quatuor horarum; his enim definitionibus minime efficitur, vt distinctas diei horaeque notiones consequamur.

18. Summa definitionum, qua verbis notiones exprimunt, haec lex est: *non esse vocabula adhibenda nisi eo sensu, quem usus ipsis tribuit, nisi ante monueris*; et, *quae aliquid obscuritatis habent verba, esse ante definienda, quam in definitione afferantur.*

19. In definiendi autem studio, quod omnibus, qui solidae rerum cognitionis cupiditate ducun-

ducuntur, debet esse commendatissimum, *cauenda est* maximopere *eorum superstitio, qui omnia definitione explicare volunt*, quod tamen aut fieri non potest, aut maiorem obscuritatem affert. Sunt enim multae res, inprimis ex his, quae sensibus percipiuntur, quarum ideas distinctas consequi non possumus, vt colorum, saporum, sonorum, quas nemo proinde non stultissimus definitione declarare audeat. Cum enim definitio sit ad exprimendas verbis notiones distinctas comparata, (§. 5.) quomodo potest, cuius nulla informari animo distincta notio potest, definitio fieri? Quaedam praeterea res, vtut intelligentiae subiectae, ita simplices sunt, vt nihil quicquam in iis liceat cogitatione discernere, quale est id, cum rem *esse* dicimus (ontol. §. 8. 9.) cuius generis res, si definire audeas, nihilo plus facias, nisi vt cum artis alicuius et acuminis specie insanias, et operam perdas.

20. Sed ad alterum definitionum genus, quod *reale, causale, geneticum* dicunt, progrediamur, quod, qua ratione res fieri possit, ostendit: vt cum voluptatem esse dicimus, quae ex perfectionis contemplatione et perceptione existat, et parallelopipedum corpus, quod motu parallelo descendente ad perpendiculum quadrato. Ex quo facile intelligitur, in huius generis definitione ea afferri debere, quibus po-

ſitis res efficitur. Cetera, quae ad effingendas has definitiones pertinent, infra afferemus.

21. Praeter hanc autem definitionis diſtributionem alia eſt eius tanquam generis in formas ſuas diuiſio. Nam definitiones aliae ſunt *partitionum*, aliae *diuiſionum*; quae quomodo inter ſe differant, facile intelligi poteſt. *Partitionum* dicunt, quibus res quaſi membratim diſcerpuntur, et in partes ſuas diſcinduntur, vt cum dicimus, hominis partes eſſe corpus et animum, Philoſophiae, Pſychologiam, Ontologiam, Logicam, ceteras: *Diuiſionum* autem ſunt, cum generi, quae ſubiectae formae ſunt, ſine vllius praetermiſſione enarrantur; tanquam cum dicunt, triangula eſſe vel aequilatera, vel aequicrura, vel ſcalena etc. item neceſſarium eſſe vel ſimpliciter vel cum conditione et adiunctione. Eſt itaque vtriusque generis haec differentia, vt partitio ad totum eiusque partes, diuiſio ad genus et ſubiectas formas pertineat. Formas enim, vt Cicero ait in Topic. c. 7. *qui putat idem eſſe, quod partes, confundit artem, et ſimilitudine quadam conturbatus, non ſatis acute, quae ſunt ſecernenda, diſtinguit.* Ipſe tamen Cicero ſaepe partes pro formis dixit, vt, de Iuuent. I. 22. *Genus eſt, quod plures partes amplectitur, vt animal. Pars eſt, quae ſubeſt generi, vt equus.*

22. Vtriusque autem et partitionis, et diuiſionis haec ſumma lex eſt, vt *neque in partiendo vlla*

vlla pars, neque in diuidendo forma praetermittatur. Id enim si quis fecerit, vitiosa est partitio et distributio; nisi quidem, non ex ignorantia quadam, sed studio fiat, vt, cum partium infinitus numerus est, neque omnium enumeratio ad rem propositam pertinet; quo loco sine dubio sufficit, tot enarrasse, quot res requirebat. Itaque qui quandam sibi partiendi diuidendique legem praescribunt, quam vbique sequantur, vt scilicet omnes res v. c. bipartito aut tripartito distribuant aut discerpant, rem faciunt ipsi rerum partiendarum diuidendarumque naturae minime consentaneam. Ceterum illud tenendum est, in eas res, quarum sunt repugnantes formae, non nisi διχοτομίαν cadere, semperque necessario esse in duas formas distribuendas; vnde scholastici repugnantia nullum tertium interiectum habere posse praecipiunt: *contradictoria excludunt medium.*

23. Mathematici a quibusdam Philosophis doctrinae mathematicae non satis gnaris accusantur, quod definitiones tantum afferant, diuisiones praetermittant. Falso. Nam etsi non soleant fere lectores monere de generum in formas distributionibus, tamen rem ipsam sedulo seruant; nisi vero hoc non est diuidere, cum trianguli definitione tradita, ad triangula rectiangula, obtusiangula, acutiangula pergunt, ac nisi hi tantum diuisiones adhibent, qui proposito

genere, verbi causſa, triangulo, priusquam formarum definitiones afferant, ſemper formas ita enumerant, eſſe vel acutiangulum vel etc.

CAP. II.
De Verbis ſeu Terminis.

24.

VErba ad communicandas cum aliis ideis cogitationesque noſtras comparata et excogitata ſunt (Pſychol. §. 34.) quarum ſigna, eaque arbitraria ſunt. Quare cum ſignum quodlibet ad rem aliquam referatur, cuius ideam oblato ſigno phantaſia, inſtaurat (ontol. §. 105.) efficitur, vt *cuivis verbo reſpondere idea vel notio, et certa quaedam poteſtas ſubiecta eſſe, debeat.* Quibus enim verbis nihil ſententiae, nulla vis attributa certa eſt, nihil ſunt praeter ſonos inanes, a quibus in omni ſermone inprimis cauendum eſt.

25. Si quis autem verbis ab aliquo prolatis easdem quas loquens iungere ideas cogitationesque poteſt, is *intelligere* eum dicitur; qui autem, quae ſit alicuius verbis ſententia ſubiecta, quae ſint iis ideae, et cogitationes iungendae, docet eum *interpretari* alicuius verba dicimus. Ex quibus intelligitur, quibus verbis nihil ſententiae, qui loquitur, tribuit, aut tribuere poteſt, ea nec ab audientibus intelligi poſſe;

posse; et si qua verba eiusmodi sint, vt nihil significent, haec a nemine intelligi posse aut explicari.

26. Sed quoniam summa in loquendo est hominum inconstantia, atque alius alio ampliorem angustioremque sententiam verbis subiicit, item alius plane aliam, prout est cognitione rerum aut confusa et obscura, falsa etiam, aut recta, distincta et perfecta imbutus animus, denique ab ipsis rebus, quarum sensu haurimus imagines, diuersa homines ratione afficiuntur; haud obscurum esse potest, quam difficile plerumque sit, alios recte intelligere, aut librum ab aliis scriptum interpretari; vt merito, qui aequi rerum aestimatores esse velint, magnam cautionem in explicandis aliorum verbis et scriptis adhibeant, neque facile illis tribuant sententiam, nisi quam certis minimeque dubiis indiciis constet recte illis minimeque repugnantibus tribui posse. Sed de his alio loco dicetur.

27. Ne autem frustra verba nil proficientia perdamus, opera cuique danda sedulo est, vt *mature incipiat, sonum et ideam sono subiectam discernere et internoscere*, atque in omni sermone cogitare, quae et cuius rei quasi imago animo et cogitationi, prolato quocunque vocabulo, obuersetur. Quod nisi quis fecerit, saepissime sonos inanes proferet, et id quod

plurimis vsu venit, intelligere sibi videbitur, quae omnino non intelligit.

28. Hic vero praecipua educationis vis est. Qui enim homines ita a teneris vnguiculis instituti sunt, vt nihil audiant, nihil legant, nisi cuius cum ideas in sensibus perceperint, aut cuius notio animis eorum informetur, hi facile efficient, vt verbis suis semper ideas notionesque rerum ipsarum claras saltem iungant. Qui autem, id quod plerisque, forte omnibus, accidit, statim ab incunabulis multa audiunt verba, quorum nullam ideam ipsi, saepissime nec qui pronunciant, habent, aut accipiunt, qui in tenerrima aetate cum nondum recte fari possunt, multa edisce re etiam coguntur, quae non intelligunt, nec intelligere possunt, hi quandam consuetudinem statim ab illo tempore contrahunt multa loquendi sine vllo sensu, interdum longas precum formulas eo tempore memoriae mandatas recitandi, et omnia alia cogitandi, ac verborum vis requirebat. Atque haec consuetudo apud plerosque, vt solent esse infantiae consuetudines firmissimae, tam altas agunt radices, tam pertinaces euadunt, vt non nisi cum vita deponantur.

29. Hanc etiam vim habet diuturna audiendi adhibendique vocabuli consuetudo, vt, quia familiaris is nobis sonus est, et simili fere loco saepe percipitur, videamur nobis, quae vis sit voca-

vocabulo subiecta, intelligere, quamuis plane nihil praeter sonum cogitemus. Atque hoc vitium omnes hominum ordines pervagatum ita est, vt nullum ei remedium superesse videatur.

30. Sed age reliquas adhibendorum verborum regulas afferamus. Quoniam non eandem omnes verbis sententiam subiiciunt, qui recte intelligi volunt, *quo sensu verbum quodque capiant, declarare debent:* si enim qui loquentem audit, aliam consueuit significationem verbis subiicere ac ipse loquens, nisi quem sensum verborum esse velit, ostendat, intelligi non poterit, atque locum faciet nominum concertationibus, quibus nihil est in controuersiis eruditorum frequentius. Est autem *controuersia verbi* (logomachia) cum qui, verum aliquid sit falsumne, disputant, verba alius alio sensu accipiunt, ac de rebus adeo plane diuersis disputant, verbisque non re discrepant. Cui quidem vitio in disputando definitionibus optime cauetur: de logomachiis extat egregius Werenfelsii libellus.

31. Multum etiam, vt rectius, faciliusque intelligare, prodest, *verbis eam potestatem tribuere, quam consuetudo & diuturnus usus, loquendi magister, ipsis tribuit.* Hoc enim, si quis fecerit, est autem aequitati maxime consentaneum id facere, saepe definiendi labore supersedere poterit,

erit, et pugnas de verbis effugere. Sed quoniam sunt tamen verba signa rerum arbitraria, est sua cuique in eo genere libertas relinquenda, modo ne de ea re monere audientes, legentesue negligat.

32. *Quoniam autem ipse vsus loquendi eidem verbo saepe plures significationes tribuit, conueniens est ex his aliquem eligere, & per totam philosophiam ei tribuere*, aut, *certe quam quoque loco vim subiicias, monere.*

33. Restat, vt, quoniam praecipuus verborum vsurpandorum regulas tradidimus, nomina et genera verborum paucis recensеamus. Quae res sunt, singulares omnes sunt (Psychol. §. 33. ontol. §. 21.) a quibus cognita earum similitudine notiones abstrahuntur, generum et formarum. (Psychol. §. 34.) Quod si omnibus rebus singularibus peculiare tribuere nomen vellemus, futurum esset, vt ad immensum verborum numerum lingua quaeque augeretur, qui non posset memoria capi et comprehendi: vt taceam, parum vtilitatis eiusmodi nomina singularium rerum plerarumque habitura esse. Itaque paucis rebus singularibus, hominibus v. c. vrbibus, fluuiis ceteris peculiaria nomina attributa sunt, quoniam alia ratione non possent discerni et indicari aliis, quod in his rerum generibus maxime necessarium est. In reliquis autem rebus, quas non adeo opus est discer-

discernere, nominibus generum formarumue contenti sumus. Sed superioris generis *nomina propria*, inferioris, *appellatiua* a Grammaticis, a Philosophis etiam illa *Termini singulares*; haec *vniuersales* dicuntur. Quod enim veteres nomen, verbum; id Philosophi recentiores terminum vocarunt, quando est de rebus ad disciplinam aliquam pertinentibus sermo. Cum autem res singularis indicatur, hic nullo nomine proprio adhibito, vt, homo quidam, *indiuiduum vagum* dicunt.

34. *Terminum certum*, vel *vniuocum* dicunt, qui eandem semper et apud omnes vim habet, vt linea, triangulum; *incertum* autem vel *aequiuocum*, qui diuersimode capi potest, vt spiritus, species. His duobus interiiciunt *analogum*, qui diuersimode et ipse capitur, et pluribus rebus tribui potest, sed alteri primario, alteri secundario. Sed multi hos reiiciunt, et ad aequiuocos referunt.

35. *Termini concreti* dicuntur, qui quamcunque rem indicant ita, vt rei subiectae, cui inhaeret, notio simul indicetur, vt doctus, vir, homo: *abstracti* autem, qui rei notionem exprimunt, nulla rei subiectae notione admista, vt doctrina, humanitas.

36. *Terminus obscurus* est, cui quae vis subiecta sit, intelligi satis nequit, aut certe cum

difficultate aliqua: *Inanis* autem, cui aut nulla notio subiecta est, aut, quae subiecta esse putatur, non est vera, sed deceptrix notio, quae notionem mentitur: Illius generis sunt v. c. Abracadabra, itry, blitry, scyndapsus; huius, quibus notio rei repugnantis tributa est, vt centaurus, σιδηρόξυλον, biangulum rectilineum. Sed in hoc verborum genere maximopere vitandum est id, quod multis accidit, ne scilicet, quibus verbis nos nullam subiicimus ipsi potestatem, aut, quae subiecta sit, ignoramus, inter inanes sonos referamus statim, quoniam, etsi nos vim verbi alicuius ignoramus, aliis tamen ea cognita esse potest. Tunc demum itaque verbum inter terminos inanes iure referemus, cum, quae ei subiecta notio dicitur, ostendi potest, non esse a repugnantia liberam, aut, quam rem indicare dicitur, non esse positam in re atque natura vt Antipathia, Sympathia, motus rotae celerrimus, cetera.

36. *Terminum categorematicum* dicunt, qui per se potest enunciationis subiectum aut praedicatum esse; *Syncategorematicum* autem, qui alius verbi auxilio indiget, vt praedicati subiectiue loco esse possit. Sic est, dicunt, categorematicum, esse terminum in illo: Deus est; Syncategorematicum autem, cum dicitur v. c. Deus est aeternus.

37. *Ter-*

37. *Terminum finitum* vocant, qui certi aliquid significat, sine vlla negatione, vt doctus; *infinitum* qui negationem aliquam adhibet, vt, non indoctus.

CAP. III.
De Enunciatione.

38.

ENunciationem diximus (Psychol. §. 40.) esse iudicium verbis expressum, qua duae ideae vel notiones verbo *est* tanquam vinculo et copula quadam iunguntur; quarum quae alteram continet *subiectum*, quae autem subiecto continetur, *attributum* (*praedicatum*) dicitur. Nunc eius naturam, genera et affectiones paullo accuratius considerabimus.

39. Ac primum illud ex ipsa definitione facile colligitur, quia attributum eiusmodi notionem exprimit, quae subiecti quasi sinu comprehenditur, ac ei tanquam aut pars, aut proprietas, aut modus ineſt; *subiecti notionem ampliorem latioremque esse notione attributi:* vt cum quadratum dicitur esse aequilaterum, facile intelligitur, notioni subiecti plus inesse ac notioni attributi, quae ipsa notioni subiecti inhaeret, et eius veluti pars est. Ex quo efficitur, vt *subiectum attributumque non tam ex loco, quam ex amplitudine notionis agnoscantur*, quoniam

niam in sermone saepissime accidit, vt subiectum posteriori loco collocetur. Quae res magnam vtilitatem in interpretatione affert.

40. Non minus illud definitione enunciationis declaratur, *in omni enunciatione duas notiones, neque plures, neque pauciores esse debere.* Quod tamen non hanc sententiam habet, quasi nudae semper esse debeant ab omni aliarum adiunctione notiones, quae attributi subiectiue loco sunt; sed quod duae tantum praecipuae et primariae notiones locum in enunciatione habeant, ad quas, quae accedunt aliae, relati partes ad totum suum pertineant. Sunt autem, quae attributo subiectoue accedere ideae possunt, non vnius generis. Quaedam enim explicandi vim habent, vt cum definitio aut aliud huius generis adiicitur, ex quo, quale sit id, quod attributi aut subiecti locum occupat, aliqua ratione intelligi potest, vt si dicas: Crassus is, qui a Parthis victus est, auspicia vana esse credidit; quaedam autem sunt attributi et subiecti conditiones et adiunctiones, ex quibus, quo loco et qua de caussa attributum tribui subiecto possit, aut non possit intelligitur, tanquam cum dicitur: Parallelogramma, vbi eadem altitudine sunt, sunt in ratione basium. Quae huius gerens adiunguntur notiones, vulgo *determinationes subiecti et praedicati dicuntur*, quarum omnino magna est vtilitas, et summa neces-

neceſſitas, quoniam ex iis omnis demonſtratio arceſſenda eſt. Tolle enim in poſteriori hoc quod adiectum eſt, *vbi eadem altitudine ſunt*, non poteris, quale reliquum ſit, intelligere.

41. Sed enunciandi varia genera ſunt. Nam primo attributum vel tribui poſſe ſubiecto dicitur, vel non poſſe; deinde ſubiecti diuerſa et multiplex ratio eſt; denique ipſa enunciationis forma et quaſi habitus non eſt eiusdem generis; vnde non poſſunt non diuerſae etiam enunciationum formae oriri.

42. Quando enunciationes eiusmodi ſunt, vt attributum ſubiecto ineſſe, tribuique poſſe dicatur, *aientes* ſeu *affirmantes*; quando autem id eſſe a ſubiecto alienum dicitur, *negantes* vocantur: vt cum dicitur: eſſentia eſt immutabilis, quia immutabilitas eſſentiae tanquam proprietas tribuitur, aiens ea enunciatio eſt; cum autem dicunt: modos rei non eſſe neceſſarios, quia neceſſitas nulla modis ineſſe, aut in eis locum habere dicitur, negans enunciatio eſt. Affirmatio ex copula pendet, quae ſubiecto non remouere attributum oſtendit. Ea autem copula non ſemper diſerta adiicitur. Sed in poſteriori genere id inprimis operam debemus, vt verene attributum negetur ſubiecto, an negantis tantum ſpeciem mentiatur enunciatio, intelligamus. Quod enim negationi exprimendae ſeruit verbulum *non*, ſaepe non habet eam

eam in enunciatione vim, vt attributum minime locum habere in subiecto posse ostendat. Habet autem negandi vim tum, cum ad copulam *est* pertinet, seu vti vulgo dicunt: cum copulam afficit: vt in his: Homo non est aeternus, vnitas non est numerus: In his enim eo valet, vt aeterni notionem in hominis notione non contineri, sed ei repugnare indicet; item, numeri notioni cum vnitatis notione non conuenire. Quod si autem vocula *non* ad subiectum aut attributum refertur, nullam habet ad negationem vim: tanquam cum dicitur: Res ab omni concretione libera non repugnat, quia non ad attributum refertur, perinde ac si sit: Res a concretione libera est non repugnans, nihil repugnantiae habens, h. e. possibilis, non est ea enunciatio inter negantes numeranda, sed inter affirmantes potius. Huius autem generis enunciationes negantium speciem, aientium autem vim habentes, *infinitae* dicuntur; quae autem plane affirmant aliquid, vt ne negantium speciem quidem habeant, *finitae*.

43. Quae enunciationes idem et subiectum et attributum habent, *identicae* hodie dicuntur, vt hae: Triangulum est triangulum, item quae ex se connexae sunt, vt: si lucet, lucet, nituntur que illa notione communi: quicquid est, est, et habent non exiguum in demonstrationum explicationibus vsum. Quin ipsae definitio-

nitiones, vbi enunciationum loco adhibentur, quod fit in Syllogiſmis, ex hoc genere ſunt, quia attributum non eſt a ſubiecto diuerſum tanquam ſi ſit haec: DEVS eſt auctor vniuerſi; quia auctor vniuerſi eſt DEVS nil differunt, identica enunciatio eſt.

44. Subiecta enunciationum non eiusdem generis ſunt. Interdum enim omnia quae eiusdem generis aut ſpeciei ſunt, complectuntur; interdum vero tantum quemcunque eorum numerum; denique interdum etiam ſingularem tantum rem indicant. Quae primi generis ſubiectum habent *generales*, (*vniuerſales*) quae ſecundi, *particulares*, quae tertii, *ſingulares* dicuntur. Sic harum trium: omne quadratum eſt aequilaterum, quaedam parallelogramma ſunt aequilatera, Eugenius eſt fortis, prima eſt vniuerſalis, altera particularis, vltima ſingularis. Id autem facile intelligitur, non aientes ſolum, ſed negantes etiam enunciationes huiusmodi eſſe poſſe.

45. His autem enunciationum generibus quaedam verba adhibent, quibus, quale ſubiectum ſit, declaratur *Omnis*, *Nullus*, *Quidam*, *Hic*, et quae ſimilem vim habent, atque eas enunciationes, quae habent aliquod huius generis verbum ſubiecto praepoſitum, *definitas* vocant, ceteras *indefinitas*.

46.

46. Quandoquidem definitiones enunciationum loco esse numeroque possunt (§. 43.) id autem quod definitur (definitum) generis vel speciei nomen sit, efficitur, vt definitiones vniuersalium enunciationum numero sint. (§. 44.) Ex quo intelligitur vera esse illa enunciata Philosophorum: Cui definitio tribui potest, ei nomen quoque definitae rei recte tribuitur, et cui nomen tribui recte potest, huic quoque definitio recte tribuitur. Contra autem, cui definitio non potest tribui, ei nec potest nomen rei definitae tribui, item, cui nomen negatur, ei et definitio recte negatur. Idem vero etiam ex eo intelligi potest, quod supra (§. 43.) diximus. Nam si verum est, vt est verissimum, non posse, id quod res est, eandem etiam non esse; definitae autem rei nomini eandem quae definitioni subiecta vis sit; cogitur, de quo nomen dici potest aut nequit, de eo etiam definitionem dici posse aut non posse etc. vt, de qua figura v. c. dici potest, eam esse triangulam, de ea etiam dici possit, eam tribus lateribus contineri, et quae tribus lateribus comprehendi dicitur, ea etiam triangula dici possit. etc.

47. Porro quae rei tribuuntur, vel simpliciter ei tribuuntur, vel cum conditione aliqua et adiunctione. Aliter enim tribuimus homini rationem, aliter futuram illam beatitatem. Nam in illo: Homo est ratione praeditus, nulla est

est conditio aut adiunctio; in hoc autem: Si quis Christi meritis confidit homo, beatus futurus est. Atque ex eo duo noua enunciationum genera efficiuntur, quorum alterum *Categoricarum*, et *ab omni conditione absolutarum* dicitur, alterum *Hypotheticarum*, seu *quae cum conditione verae sunt*.

48. Harum autem enunciationum fundamenta sunt ex iis repetenda, quae sunt de essentia, proprietatibus, modisque in Philosophia prima disputata. Nam cum, *quae ad essentiam pertinent*, item, *proprietates* semper et necessario rei insint, (ontol. §. 11. 15.) efficitur, vt *rei simpliciter tribui possint*. Cum autem, quae modorum numero sunt, non necessario rebus insint, quia non ab essentia proficiscuntur, sed praeter essentiam aliquid aliud adsit oportet, ex quo, cur adsint, intelligi possit; sequitur, *modos rei non nisi cum conditione tribui posse*. Ex quibus facile potest perspici, primo, quomodo possit, rectene aliquid sit simpliciter, vel cum conditione rei attributum, nec ne, intelligi; deinde, quia quae in categoricis enunciationibus tribuuntur subiecto, ei necessario insunt, aut repugnant, *omnes categoricas esse easdem generales*; et quia hypotheticarum contraria ratio est, eas esse particulares, posse tamen ad vniuersales et quasi categoricas reuocari, vt hanc: Si triangula duo eadem basi, eadem-

que altitudine sunt, aequalibus sunt areis; particularis est, quia attributum non omni triangulorum pari tribui potest, sed fit vniuersalis hoc modo: omnia triangula eadem basi et altitudine sunt aequalibus areis. Nam ita quoddam quasi triangulorum genus efficitur, cui quae subiecta triangula sunt, his omnibus aequalitas arearum recte tribuitur. Neque perperam quidam praecipiunt, esse etiam categoricas ad hypotheticas reuocandas. Nam quae rei simpliciter tribuantur, tribui certe propter definitionem; adeoque hanc conditionis vim habere: Vt hanc: triangulum habet tres angulos; quia numerus angulorum ei propter definitionem tribuatur, ita ad hypotheticae formam reuocari posse: si triangulum est figura tribus lateribus comprehensa, habet tres angulos. Quae res, etsi non magni momenti videatur, valet tamen eo, vt, ex quibus principiis demonstratio arcessenda sit, facilius intelligi possit.

49. Enunciationes interdum vnum et subiectum et praedicatum habent, interdum plura. Hinc illa enunciationum in *simplices* et *compositas* vel *complexas* distributio: quarum illas dicunt, quae subiectum attributumque simplex habent, hoc est, de vna re vnum aiunt aut negant; tanquam cum dicunt: omne simplex esse figura liberum; has autem, quarum aut attribu-

tum

tum aut subiectum ex pluribus quasi partibus constat. Sed huius posterioris generis plures formae sunt, pro diuerso scilicet modo, quod sunt subiecti attributiue partes et membra coniuncta et copulata; quarum duas praecipuas afferemus. Prima forma earum enunciationum est, in quibus aut eidem rei tanquam subiecto plura tribuuntur neganturue, aut pluribus rebus idem attribuitur vel abrogatur. In qua enunciationum forma quoniam verbo *et* subiecti attributique partes copulantur, vulgo *copulatiuam* dicunt; cuiusmodi hae sunt: Omnis res composita habet et certam magnitudinem, et certam figuram, cetera. Deus est et aeternus et intelligens, et immortalis cetera. Poetae et prodesse et delectare volunt. Deus et mentes humanae sunt a concretione liberae; pictores et poëtae sunt fingendarum rerum studiosi. Altera forma earum est, quae plura aut subiecta coniungunt, et vni ex eorum numero aliquid tribuendum esse negandumue pronunciant, aut plura attributa afferunt, atque ex iis vnum necessario esse subiecto tribuendum vel negandum edicunt: quod quoniam verbo *aut* efficiunt, *disiunctiuae* vocantur. Tales sunt hae: Omnis enunciatio est aut vera aut falsa, aut Germani aut Galli erunt ad Rhenum victores. Harum autem enunciationum haec lex est, vt quae subiecto praedicatoue coniunguntur, aut contraria

sint et disiuncta ita, vt intermedium nihil patiantur, vt in hac: omnis enunciatio est aut vera aut falsa; aut si cuiusdam totius quasi partes sunt, nulla pars omittatur; aut si eiusdem generis formae sunt, nulla praetermittatur, vt in his: Omnis figura quadrilatera est aut quadrata, aut rectiangula, aut rhombus, aut rhomboides, aut mensula. Omnis actio hominis aut a corpore aut ab animo proficiscitur.

50. Porro quaedam non simpliciter enunciantur, sed ita, vt simul etiam modus explicetur et afferatur, quo rem fieri necesse est, aut fieri potest vel non potest, quo denique praedicatum subiecto consentit; quod genus enunciationum *modalium* vocant. Earum exempla haec sunt: Fieri potest, vt diuitiae noceant. Necesse est, vt, qui vitiis dediti sunt, miseri sint. Non potest fieri, vt virtus infelicem quemquam reddat.

51. Quaedam enunciationes aliqua aut obscuritate laborant, aut difficultate premuntur, quae, nisi explicatis vocabulis, a quibus obscuritas difficultasque proficiscitur, tolli non potest: atque has *exponibiles* appellant. Eius autem enunciandi generis plures formas faciunt, quas a diuerso explicandi obscuri vocabuli genere arcessunt. *Prima* species est earum, quas *exceptiuas* vocant, cum enunciatio ad genus totum totamque formam aut totam rem pertinere

nere videtur, sed tamen in vnam aut aliquot generi subiectas species, aut speciei subiectas res singulares, aut aliquam totius partem cadere nequit. Exemplis esse hae possunt: Omnes praeter Eliam et Enochum homines mortui sunt. Omnia praeter hominem animantia rationis expertia sunt. Omnis mundus, si a mentibus intelligentia praeditis recesseris, corrumpetur et interibit. Caius est totius, praeter Physicam, Philosophiae peritus. *Altera* species est earum, quae rei ita aliquid tribuunt, vt ab eius communitate omnes alias excludant et prohibeant, aut ita auferunt, vt id ad nullam aliam quoque pertinere certis verbis significent, vnde *exclusiuas* eas appellare consueuerunt; tanquam cum dicunt: vnum id quod honestum est, idem esse etiam bonum; vnum Ciceronem esse perfectae eloquentiae latinae exemplar; vnum Deum non esse ortum. *Tertia* species est, quae de genere, forma aut tota re ita pronunciat, vt simul ostendat, ad quas subiectas generi formas aut formae res singulares, aut ad quam totius partem, quod pronunciauit, pertineat, aut quomodo quaque de caussa subiecto conueniat attributum, easque enunciationes *restrictiuas* solent dicere, vt cum dicunt: Hominem, qua mentem, esse immortalem, ratione praeditum, cetera; aut cum Horatius ait; Vitulus, qua notam duxit, candidus est videri, cetera fuluus.

Cicero, qua plus iusto timidus fuit, est reprehendendus. Homines maximam partem vitiis inquinati sunt. Animantia quae ratione carent, plane intereunt. Sed exprimendi modi, quo attributum habeat in subiecto locum, non vna ratio est. Nam aut ab ipsius subiecti natura est repetendus, aut ab aliis rebus et conditionibus; vt si quis dixerit: Homo, qua homo est, ratione gaudet, Homo, qua vitiosus est, Deo displicet; Ex quo duae restrictiuarum enunciationum formae efficiuntur, quarum alteram, superiorem illam, *reduplicatiuam*, alteram, inferiorem, *specificatiuam* appellant. *Quarta* et ultima forma est, quae duas res inter se comparat, et ad se ita refert, vt quae sit altera maior, melior, aequalesne sint an inaequales, similes an dissimiles, enuncient; *comparatiuas* vocant. Atque in hac enunciationum specie, quia facillime errari potest, magna cautio adhibenda est, primo, vt ne audeamus inter se conferre, quae non satis cognita habemus et perspecta neque praecipitemus iudicium, quia plerumque multum difficultatis habet, sine errandi periculo, quae sit res alteri praeferenda, iudicare: deinde ne, quae in comparationibus dicuntur, simpliciter etiam vbique dici posse putemus. Sic in hoc: Virtus praestantior est eruditione, duae inter se res conferuntur, quarum vtrique simpliciter tribui potest praestantia

quae-

quaedam, sed alteri maior, alteri minor, vt possit vna ista enunciatio ad tres reduci has: Eruditio praestantiam habet, Virtutis praestantia sua est, Virtutis autem maior est quam eruditionis: Sed in hoc: Superstitiosum esse melius est, quam Deum tollere, quod est superioribus temporibus disceptatum, longe aliter est, nam, si concedas etiam ipsam rem, non poteris tamen, id quod facile intelligis, neque superstitionem, neque diuinae naturae negationem pro re bona habere.

52. Atque haec sunt praecipua enunciationum cum suis formis genera, de quibus Dialectici praecipiunt. Sed praeter ea sunt adhuc alia, quorum frequens fit apud Mathematicos inprimis mentio. Sunt autem fere haec: Axioma seu effatum, notio communis, Postulatum, Theorema, Problema, Consectarium, Lemma, Scholium; quorum definitiones, quia iam sunt eo loco traditae, quo Mathematicorum methodum, quam breuissime potuit fieri, explicauimus, nolumus hoc loco repetere. Restat igitur vnum illud, vt de *enunciationum affectionibus* pauca dicamus; quarum quidem in vniuersum omnes quatuor sunt, *Conuersio*, *Pariatio*, (Aequipollentia) *Diuinctio* (Oppositio) *Subalternatio*.

53. *Conuerti* enunciatio dicitur, cum, quod attributi loco erat in subiecti, quod subiecti lo-

cum tenebat, in attributi locum transfertur, tanquam cum hoc, omne necessarium est immutabile, ita permutatur, omne immutabile idem est etiam necessarium. Sed vt quae enunciationes recte conuertantur, quae minus, intelligatur, illud tenendum est, conuersionem non nisi in has cadere, quarum subiectum et attributum aeque late patent, h. e. quarum aut subiecto et attributo eadem vis, eadem potestas subiecta est; quod quidem locum habet in his, quae definitiones sunt, et quas identicas dicimus (§. 43.); aut attributum non ex quadam quasi parte subiecti, sed omnibus pendet ac intelligitur. Quod si itaque praedicatum enunciationis eiusmodi est, vt, quare sit subiecto attributum, non totum subiectum, sed tantum eius quaedam quasi pars cognita esse debeat, perperam eam conuertes. Sic in hoc: in figura tribus lateribus comprehensa sunt tres anguli; quia, quod figurae eius generis tribuitur, huiusmodi est, vt, quare tribuatur tribuique possit, nequeat nisi ex tota ea, hoc est, ex trium laterum in figuram coniunctione intelligi, recte ea conuertetur. In hoc autem: omne quadratum in duo triangula aequalia diuidi ducta diagonica potest; quoniam attributum non ex tota quadrati notione, sed tantum ex eius quasi parte, h. e. ex numero laterum eorumque situ parallelo pendet et intelligitur, conuerti ea enunciatio minime

nime potest. Eodem modo conuerti quidem potest hoc: Deus est auctor vniuersi; non autem hoc: Deus est immutabilis.

54. Essentiae constat deberi quicquid rei perpetuo inest (ontol §. 12.) et proprietates proprias ex tota essentia pendere. (l. c. §. 15.) Quamobrem omnes hae enunciationes habebunt aeque late patens subiectum et attributum, quae subiecto essentiam aut proprietatem propriam tribuunt. Sic in hac enunciatione: Triangulum est figura, cuius angulorum summa habet ad angulum rectum rationem duplam, quod triangulo tribuitur, est proprium triangulo ita, vt ad nullam aliam figuram transferri possit; potest igitur conuerti. Item haec: Omnis solida figura sex lateribus aequalibus inclusa efficitur descensu quadrati plani ad perpendiculum aequale quadrati lateri; quia subiectum est proprietas cubi propria, attributum eius essentiam declarat, conuerti potest.

55. Sed est etiam quidam conuertendarum enunciationum modus, qui in his etiam locum habet, quae non habent vtramque partem aeque late patentem, modo, quod subiecto tribuitur, eiusmodi sit, vt necessario ei insit, hac tamen lege, vt ex vniuersali enunciatione fiat particularis: tanquam cum dicitur: omne quadratum est aequilaterum, ita conuerti potest: quaedam figura aequilatera est quadrata.

56. Altera affectio earum est, quae verbis, non re discrepant, sed idem valent, eandemque verbis potestatem subiectam habent. Huius generis hae sunt: Summa angulorum in triangulo quocunque est aequalis summae duorum rectorum; Anguli simul sumti, qui sunt in triangulo, ad rectum angulum sunt in ratione dupla. Huius affectionis quaedam vtilitas est in reuocandis ad syllogismos demonstrationibus, de quo infra dicetur.

57. Tertia affectio earum est, quae sibi subiiciuntur et subiunguntur, vt altera superior sit, inferior altera et secundaria, siue vt vna ad alteram eam rationem habeat comparationemque, quam ad subiectas formas genus. Huius generis hae sunt: Omne triangulum est dimidium parallelogrammum: triangulum rectangulum est dimidium parallelogrammum, triangulum aequilaterum est etc. De his autem multa dicere nihil attinet, quia ex doctrina de genere, et generi subiectis formis, earum natura et leges facile intelligi possunt.

58. Quarta affectio, eaque praecipua, est *disiunctio*, quae quidem earum enunciationum est, quarum altera ait, quod altera negat, et est praecipuae in omni scientia vtilitatis. Sed disiunctarum enunciationum hunc modum faciunt, vt vtriusque et subiecto et attributo eadem potestas subiecta sit; neque enim si notiones vtriusque

usque subiecti aut attributi diuersae sint, posse vere disiunctas appellari. Atque hunc modum earum esse aiunt, quae sibi opponantur 1. eodem modo, 2. secundum eandem subiecti partem, 3. ad idem, 4. eodem tempore. Disiunctas autem enunciationes recentiores tripartito distribuunt, nempe in eas, quae ita, vt diximus, inter se pugnant, et *contradictorias*, minus latino vocabulo, vocant, vt si diceretur: quadratum est aequiangulum, quadratum non est aequiangulum; in eas porro, quae ambae quidem aut aiunt idem, aut negant, sed de omnibus vtraque, *contrarias* dicunt, vt hae: omne quadratum est aequiangulum, nullum quadratum est aequiangulum; denique in eas, quae idem aiunt quidem et negant, sed neque vniuersum genus, neque vniuersam speciem, sed tantum aliquod generi subiectas formas, aut aliquot speciei subiectas res singulas subiecti loco habent, cuiusmodi hae sunt: quidam homines docti sunt, quidam homines non sunt docti, easque *subcontrarias* appellant.

59. Horum generum autem plane diuersa ratio est. Quae enim sub primo genere continentur, quia eiusmodi sunt, vt, vtraque pro vera habita, efficiatur, idem et esse et non esse, verum esse et falsum esse, id quod fieri non potest; altera earum semper necessario est vera, altera necessario falsa. Ex quo efficitur, vt si alte-

alteram veram esse ostenderis, simul etiam alteram falsam esse euiceris, et si alteram conuiceris, alteram veram esse docueris. Quod quidem in reliquis duobus generibus longe aliter est. Nam quae ad alteram pertinent, non possunt eae quidem ambae verae esse, sed tamen falsae ambae. Si enim generi tribuitur differentia subiectae alicuius formae, aut formae modus alicuius aut aliquot rerum singularium, falsae quidem sunt istae enunciationes, minime autem hae, quae vniuerso generi aut vniuersae formae eas res negant; tanquam si dicas: Omne triangulum esse aequilaterum, omnes homines esse doctos, falsae eae quidem sunt, sed non propterea hae verae: Nullum triangulum est aequilaterum, nullus homo est doctus. Quod si autem altera vera est, necessario altera est falsa, quia, quod omnibus recte tribuitur aut negatur, non potest etiam recte omnibus abrogari aut tribui, tanquam, si verum est: Nullum triangulum quatuor latera habere, item, omnis trianguli angulos efficere summam duorum rectorum; necessario falsum est, omnia triangula quatuor latera habere, nullius trianguli angulos summam duorum rectorum efficere. Nam quod vniuerso generi aut vniuersae formae tribuitur recte, non potest eidem etiam negari, quia ex eo efficeretur, vt id vniuerso generi, vniuersaeque formae attributum sit, et non sit.

In

In tertio autem genere, quia de aliquot generi subiectis formis, item de aliquot rebus singulis idem dicitur et negatur, sed de aliis vtrumque et formis et singulis, sequitur, vtramque huius generis enunciationem posse esse veram, sed non falsam vtramque, vt has: quaedam parallelogramma sunt aequilatera, quaedam non sunt aequilatera. Sed si omnia haec genera ad illam disiunctionis notionem, illumque modum exigas, quem §. 58. constituimus; intelligas, posteriora duo genera vere disiuncta non esse.

60. Sed de priori illo genere illud etiam monendum est, si, quae ait, aut negat, vniuersum genus subiectum habet, aut vniuersam formam, alteram videri quidem, aeque late patens subiectum habere, sed re tantum eius partem aliquam, tanquam in his: Omne triangulum est obtusiangulum, omne triangulum non est obtusiangulum: Nullum parallelogrammum est aequiangulum; Non est nullum parallelogrammum aequiangulum; videtur quidem vbique omne genus subiectum esse, sed non est vere subiectum; Reuocari enim ad has possunt: omne triangulum est obtusiangulum, quoddam non est obtusiangulum.

61. Denique est enunciationum vere disiunctarum genus, quod nihil pugnae inter se habere videtur, sed re tamen pugnat. Huiusmodi hae sunt: Dies est, nox est; Sempronius viuit,

viuit, Sempronius mortuus est. Nam hae enunciationes eiusmodi sunt, vt, vtraque sumta, efficiatur, vt idem et sit, et non sit, verum sit et falsum. Quamobrem si ostenderis enunciationem quamcunque huiusmodi esse, vt, ea sumta, alia falsa sit, ea reiecta, alia vera, eam alii repugnare etiam viceris.

62. Inter notiones communes referendum est, semperque habitum est hoc: Omnem enunciationem esse vel veram vel falsam; id quod ex eodem illo repugnantiae principio intelligitur. Nam si eandem et veram et falsam esse posse fingeres, cogeretur, idem et esse posse, et non esse, quod fieri nequit. Sed quae tandem nota veri et falsi sit, et quo quasi signo verae falsaeque enunciationes internosci possint, de eo non vna est Philosophorum sententia, etsi negari minime potest, plerosque in hac etiam nota constituenda rebus congruentes nominibus differre. Inter Graecos, qui Academicam Philosophiam Pyrrhoniamque sequebantur, nullam omnino notam certam veri esse putabant, neque quicquam ita signari in animis nostris a vero posse, quod non eodem modo possit a falso, ac eam ob rem dubitationem de omnibus rebus, nullaque adhibita affirmatione, consuetudinem differendi amplectebantur, abusi scilicet illa ἐφωνείᾳ Socratis, in cuius auctoritate libenter

ter deliteſcebant, et omnium rerum ignorantia ſimulata, quam ille ad ridendam reprimendamque ſophiſtarum ſuperbiam aſſumſerat. Sed horum confutationem hic libenter praetermittimus. Quoniam autem verum eſt id, quod non repugnat, falſum omne id, quod repugnat, facile intelligitur, hanc eſſe vnam veri notam, a repugnantia liberum eſſe; vt omnis enunciatio vera ſit haec, cuius attributum notioni ſubiecti conſentanea eſt, nec vllo modo repugnat, quaeque ipſa aliis enunciationibus veris non aduerſatur; falſae autem omnes hae, quae repugnantia affirmant aut negant.

63. Sed duobus potiſſimum modis, repugnet, liberumue ſit a repugnantia aliquid, cernitur, nempe aut ſenſibus, aut ratione. In ſenſibus veritas eſt, ſi ſani ſunt integri et incorrupti, et omnia remouentur, quae obſtant et impediunt, recte vt veri nuncii appellari poſſint, quos natura quaſi normam ſcientiae et principium dedit, vnde poſtea notiones rerum in animis imprimantur, e quibus principia et omnes fere ad rationem inueniendam viae reperiantur. Quae enim de remo inflexo, de collo columbae, aliisque huiuscemodi rebus, quae aliter ſunt ac videntur, obiici hic ſolent, nullam vim ad infringendam, debilitandamue ſenſuum veritatem habent. Modo enim

enim in huiusmodi perceptionibus assensio sustineatur paullisper, nec praecipitetur temere, sed situs rerum, quas intuemur, audimusque, aut interualla contrahantur aut diducantur, aut ipsae res in omnes partes suas versentur, facile omnes fraudes vitabimus, intelligemusque, non tam sensus, quam praecipitata de rebus sensu perceptis iudicia fallere. Itaque in hoc genere veri cernendi maximopere cauendum est, ne iudicia nostra pro perceptionibus habeantur, quo nihil est ad errores concipiendos efficacius. Huius autem generis iudicia, sensibus percepta, *intuitiua* a recentioribus dicuntur; quorum quidem veritas illo enunciato nititur, quicquid sit, id esse a repugnantia liberum, quoniam, quod repugnat, esse nullo modo potest. (ontol. §. 7.) Huic autem veri generi implicatum illud est, quod testimoniis fide dignis nititur; Nam his nihil efficitur, nisi hoc: fuisse, qui, aliquam rem contigisse, sensu perceperint. Quare si testimonium eiusmodi sit, iure illi vt fides abrogari nequeat, eandem eae res vim habebunt, quam quae suo cuiusque sensu perceptae sunt. Alter modus ratiocinatione continetur, de qua nunc est accurate agendum.

CAP.

CAP. IV.

De Syllogismo, Demonstratione, et quae ex his consequuntur.

64.

RAtiocinatio verbis expressa et declarata *Syllogismus* dicitur, tribusque distinctis enunciationibus constat, quarum prima *propositio* (vulgo *propositio maior*) altera *assumtio* (*propositio minor*) tertia *complexio* seu *conclusio* dicitur. Ipse syllogismus interdum conclusio dicitur. Propositio et assumtio etiam *Sumtiones*, et, quia conclusioni praemittuntur, *praemissae enunciationes* vocantur. Atque haec est illa tripartita argumentationis ratio, quae nunc omnes scholas peruagata est. Ciceroni autem commodior illa partitio visa est, quae in quinque partes distributa est, quam omnes ab Aristotele et Theophrasto profecti secuti sint, vt ipse ait de Inuent. L. I. c. 34. Eae partes hae sunt: *propositio*, *propositionis approbatio*, hoc est, argumentis rationibusque facta confirmatio, *assumtio*, *assumtionis approbatio*, *complexio*. Sed non est, quod huius auctoritate moti receptam illam tripartitam rationem deseramus. Recte enim, quicquid Ciceroni videatur, iam ipsi illi, qui inter veteres in ea re ab Aristotele discesserant, viderunt, neque a propositione, neque

ab assumtione approbationem seiungi oportere, neque absolutam vtramque et perfectam dici, nisi approbatione confirmatam, posse. Ipsae autem approbationes non sunt syllogismi eiusdem partes, sed nouis syllogismis conficiuntur, quod eo loco ostendetur, vbi demonstrationis leges exponemus. Quin carere interdum possunt propositio et assumtio approbatione, cum scilicet ex se intelliguntur. Est autem syllogismi haec formula: Virtus est laudabilis, sed temperantia est virtus, est ergo laudabilis. Primum est propositio, secundum assumtio, tertium conclusio seu complexio.

65. Ex ipsa autem formula hac intelligitur, in syllogismo tres notiones, et bis quamque adhiberi, vt in allato, bis virtus, bis laudabilem esse, bis temperantia ponitur. Quare quoniam idem verbum diuersam vim iunctam sibi habere subiectamque potest, efficitur, *quodcunque verbum in syllgismo eandem vtrobique sententiam habere oportere.*

66. Porro quod verbum est propositioni et assumtioni commune, *Terminus medius* dici solet; quod in conclusione subiectum est, *minor;* quod denique in eadem attributum, *maior;* vt in superiori syllogismo, Virtus est terminus medius, temperantia minor, laudabilem esse maior. Ex quo colligitur, *eam notionem, quae*

est

est propositioni et assumtioni communis, in conclusione locum non habere.

67. Ex his autem, quae sunt eo loco dicta, quo naturam mentis humanae explicauimus, et qua via conclusiones inuenire ratio soleat, experientia duce tradidimus, (Psychol. §. 41. sqq.) illud intelligitur, verum esse, quod Scholastici praecipiunt, omnium syllogismorum fundamentum esse, quod vocant, *Dictum de omni* et *nullo*, cuius haec vis est: Quod de omnibus in vniuersum dici possit, de singulis etiam dici posse; quod autem omnibus negetur, singulis etiam negari. Omnium itaque syllogismorum hae, quos subiecimus, formulae sunt, sub quibus, tanquam generibus suis contineantur:

1. Cui nomen recte tribuitur, ei definitio quoque tribuenda est (§. 47.)
   Sed τῷ A nomen recte tribuitur, Relinquitur ergo
   Vt τῷ A etiam definitio recte tribuatur.
2. Cui nomen tribui nequit, ei definitio quoque tribui non potest,
   Sed τῷ A nomen nequit tribui,
   Restat igitur, vt τῷ A definitio quoque tribui nequeat.
3. Cui definitio tribuitur recte aut negatur, ei nomen quoque tribuendum negandumue est,

Itaque si τῷ A definitio tribui negariue recte potest,

Sequitur τῷ A nomen recte tribui negariue.

4. Quod generi A recte tribuitur aut negatur, formis etiam subiectis tribuitur negaturue (ontol. §. 23.)

Atqui B est forma generi A subiecta,

Efficitur itaque, formae B vt tribuatur negeturue, quod generi A tribuitur vel negatur.

5. Quod formae A consentaneum est, aut repugnat, subiectis etiam individuis consentit aut repugnat (ontol. §. 22.)

Quare cum individuum B ad formam A pertineat,

Cogitur individuo B repugnare aut consentaneum esse, quod formae A.

68. Has formulas consideranti facile apparebit, 1. in omni syllogismo propositionem (maiorem) esse vniuersalem enunciationem, 2. assumtionem enunciationem aientem, 3. ex meris enunciationibus negantibus nil effici, 4. neque ex meris particularibus, 5. conclusionem esse negantem, si sumtum negans est, quod scholastici ita enunciant: Conclusio sequitur partem debiliorem; partem debiliorem

rem enim enunciationem negantem in syllogismo dicunt.

69. Sed syllogismorum quaedam genera faciunt, ex conclusionis aut reliquarum etiam enunciationum natura pendentia. Nam si conclusio aiens est, *syllogismus aiens* dicitur; *negans* autem, si negans conclusio. Si porro subiecta enunciationum genera sunt aut formae, *vniuersalis*, sin minus, *particularis* vocatur Denique si conclusio est absoluta et a conditione omni remota, *Categoricus*, *Absolutus*, vel *simplex* dicitur.

70. Praeterea quasdam etiam figuras syllogismorum et modos afferunt. *Figuras* dicunt ex modo effici, quo notio propositioni assumtionique communis ceteris duabus iungatur; qui quoniam quadruplex est, quatuor etiam figurae syllogismorum sint necesse est. Nam primo notio communis potest in propositione subiici et in assumtione attribui, quae est *prima figura;* deinde in vtraque attribui, quae *secunda* est; tertio vtrique subiici, quae *tertia* est; denique quarto in propositione attribui et assumtione subiici, quae *quarta* figura est. Sed quarta, quia nullius momenti visa est, non est vulgo in libellos logicos assumta, aut in figurarum numerum; quem et nos morem sequimur. Sed age singularum formulas afferamus. Primae figurae haec sit:

Omnis res *mutabilis* est fortuita,
Sed mundus est *mutabilis*,
Est ergo mundus fortuitus.

Secundae autem haec:

Omnis res necessaria est *immutabilis*,
Mundus autem non est *immutabilis*,
Mundus itaque non sit necessarius necesse est.

Tertiae porro haec:

Omnis *doctus* est homo,
Omnis *doctus* est diligens,
Est ergo quidam diligens idem etiam doctus.

71. Ex his formulis, quae cuiusque figurae leges sint, facile intelligi potest. Sunt autem hae: propositionem in prima figura esse vniuersalem, assumtionem aientem, et assumtionis complexionisque subiectum aeque late patere, vt scilicet vtraque aut vniuersalis sit aut particularis, denique si propositio negans sit, complexionem etiam esse negantem, id quod vel ex generali illa omnium syllogismorum lege intelligitur, §. 68. n. 5. Quibus quidem legibus illud declaratur, primae figurae syllogismos sub his formulis tanquam generibus suis comprehendi, quas §. 67. attulimus. Quae cum sint ad eum modum conformatae, quem mens nostra in concludendo maxime sequitur, (l. c.) effici-

efficitur, primam syllogismorum figuram esse naturae mentis humanae maxime accommodatam, atque per omnia ratiociniorum genera patere; quod in duabus reliquis figuris secus est. Nam in secunda figura propositio est illa quidem, vt in prima semper vniuersalis, sed conclusio semper negans. Nam huius figurae hoc fundamentum est: quod sub genere et specie non comprehenditur, ei aut negatur, quod omnibus tribui potest, aut tribui potest, quod tamen omnibus negatur; id quod ex his ipsis intelligitur, quae de omnium, inprimisque primae figurae syllogismorum fundamento diximus (§. 67.) In tertia autem figura conclusio semper particularis, assumtio aiens. Quas secundae tertiaeque regulas, si cum illis generalibus §. 67. contuleris, intelliges, harum figurarum syllogismos non in omni ratiocinationis genere, sed in negante tantum et particulari adhiberi posse.

72. Sed harum figurarum sunt sui cuiusque *modi*; qui quidem nihil aliud sunt, nisi formae syllogismorum sub quaque figura, tanquam sub genere, comprehensae, quae ex diuersa enunciationum ratione, prout scilicet sunt aut aientes aut negantes, vniuersales aut particulares, harumque diuersa dispositione efficiuntur. Horum autem enunciandi generum signa fecerunt quatuor literas, A, E, I, O, eisque literis hanc

vim tribuerunt, vt A et E enunciationes vniuersales indicent, sed A aientes, E negantes, et I, item O, particulares, sed I rursus aientes, O negantes. Iam quot modis tres harum literarum possunt coniungi, vt regulae cuiusque figurae seruentur, tot etiam cuiusque modi sunt. Itaque, quoniam in prima figura propositio vniuersalis esse, et assumtio aiens debet, efficitur, vt propositionem nonnisi A et E, in assumtionem tantum A et I, in conclusionem autem omnes cadant, modo obseruetur hoc, vt si propositio habeat E, conclusio etiam E vel O habeat. (§. 71.) Quae quidem, vt facilius memoriae teneantur, scholastici non spernendo consilio voces quasdam selegerunt, in quarum syllabis literae istae eo ordine se inuicem excipiunt, vt primae figurae modis indicandis adhiberi commode possint. Sunt autem numero quatuor, tot scilicet, quot sunt legitimi huius figurae modi: bArbArA, cElArEnt, dArII, fErIO. Nam etsi harum literarum multae aliae esse dispositiones et ordines possint, tamen hi potissimum regulis conueniunt.

73. Earundem autem, literarum quot esse, ordines regulis secundae figurae consentanei possint, si quis periculum facere velit, intelliget, quatuor tantum esse posse, quos his verbis indicant: CEsArE, CAmEstrEs, fEstInO, bArOcO; tertiae autem figurae sex: dArAptI, fElA-

fElAptOn, dAtIsI, fErIsOn, dIsAmI, bOcArdO.

74. Atque his syllogismorum in vniuersum, et figurarum modorumque regulis *forma syllogismorum* continetur; ipsas autem enunciationes *materiam* dicunt. Ex quo, quid sit formae, materiaeue vitium facile intelligi potest.

75. Hactenus de simplicibus syllogismis; ad compositos veniamus. *Compositi* autem hi sunt, quorum propositio est enunciatio composita. Horum duo genera sunt, alterum *ex antecedentibus et consequentibus* (*conditionalium*,) alterum quod ex *disiunctionibus* constat (*disiunctiuorum*.) Illos dicunt, quorum propositio, quid sumta aliqua re, efficiatur, enunciat, et *connexi* a Cicerone dicuntur: hos, quorum ex disiunctis est, vnde et ipsi *disiuncti* dicuntur. Illorum quoque duae formae sunt. Nam primo, quia in conditione ratio est, quare verum sit, quod ei annexum est, efficitur, vt sumta conditione non possit non id, quod ei annexum est, verum esse. Vt, quia, si quis virtute praeditus est, laude etiam diguus est; sequitur, sumto hoc, aliquem esse virtute praeditum, eundem etiam laude dignum esse. Deinde, quia sumta conditione, concedendum est id, quod sub ista conditione necessario est, cogitur, si ea, quae rem aliquam sequuntur, falsa sunt, falsam illam etiam ipsam esse, quam sequuntur; tanquam, quia lapis, si

calidus est, necessario calefacit, cogitur, si lapis non calefaciat, eum ne calidum quidem esse. Horum autem ex antecedentibus consequentibusque concludendi modorum hae possunt formulae esse:

1. Si illud est, etiam hoc est,
   Sed est illud,
   Est igitur etiam hoc.
2. Si illud, hoc,
   Non autem hoc,
   Igitur ne illud quidem.

Conditionem, siue, quod sumitur, vocant *antecedens*, quod conditione efficitur, *consequens*. Est itaque verum id, quod praecipiunt: *Sumto antecedente, largiendum est consequens: Sublato consequente, tollendum est etiam antecedens.* Sed fieri tamen potest, vt negato antecedente, negari recte etiam consequens possit, tum scilicet, cum antecedens vna est conditio, sub qua verum esse consequens potest. Vt, quia vna haec est conditio, sub qua aequalia esse triangula possunt, eandem basin et altitudinem habere, efficitur, vt negata conditione, h. e. antecedente, etiam alterum, aequalia esse triangula, h. e. consequens negari possit. Quod secus est, vbi vnius rei plures esse conditiones possunt. Nam si quis ita concluderet: Si lapis in igne iacuit, calidus est, sed non iacuit in igne, ergo nec calidus est; perperam concluderet, quia

quia aliae etiam calefaciendi lapidis rationes sunt, v. c. in sole ponere, aut in calida aqua. Sed horum syllogismorum nullam peculiarem formam modumque constituunt, quia ad primam illam reuocari commode possunt. Nam in huius generis syllogismis propositio negans effici semper potest. Vt in illo superiori: Si triangula A et B, aequali basi et altitudine sunt, aequalia sunt, sed falsum est antecedens, ergo etiam consequens; mutatio haec fieri potest: Si triangula A et B non sunt aequali basi et altitudine, nec aequalia sunt, sed triangula A et B non sunt etc. Ergo nec aequalia sunt. Denique, quoniam omnis enunciatio cum conditione ad simplicem reuocari potest (§ 48.) facile apparet hoc genus compositorum ad simplex et categoricum reuocari posse.

76. Disiunctorum autem syllogismorum plures formae sunt, pro numero disiunctorum, quibus tanquam partibus propositio constat. Si enim duas partes habet, vt haec: mundus est aut necessarius, aut fortuitus, sumto vno, negatur alterum, negato vno, affirmatur alterum, hoc modo: Mundus aut fortuitus est, aut necessarius; sed est fortuitus, relinquitur ergo, vt necessarius non sit, vel, sed non est necessarius, est ergo fortuitus. Si autem plura disiuncta sunt, vno sumto, negantur cetera, et negatis omnibus praeter vnum, illud ipsum vnum affir-

affirmatur; vt in his: Omne triangulum est aut aequilaterum, aut aequicrurum, aut scalenum, sed triangulum A est aequilaterum, adeoque nec aequicrurum nec scalenum; item: Sed triangulum A est nec aequicrurum, nec scalenum, est ergo aequilaterum. Vno autem ex pluribus negato, quod reliquorum affirmari debeat, non satis constat, vt si post illam eandem propositionem, ita assumas: sed triangulum A non est aequilaterum; ita concludas, necesse est. Efficitur itaque, vt sit aut aequicrurum, aut scalenum. In propositionibus autem huius generis syllogismorum id inprimis cauendum est, ne contra diuisionis partitionisque legem peccetur, quam in superioribus §. 22. tulimus. Hoc vero genus ad primae figurae habitum redigitur, si ei parti, quae aut sumitur, aut negatur, notionis communis locus tribuitur; vt in superiori illo: Quod fortuitum est, non est idem necessarium, sed mundus est fortuitus; Non est itaque necessarius. Ab hac ex disiunctionibus conclusione non differt ille modus, qui est ex *coniunctionum negantia*, cuius Cicero mentionem facit: non et hoc et illud est, sed hoc est, non igitur illud: item, non illud autem, hoc igitur. Nam propositio: non et hoc et illud est, eandem vim habet, quam haec: aut hoc aut illud est.

77. Sed

77. Sed de quibus hactenus actum est syllogismi generibus, his nihil ad perfectam absolutamque formam deest. Sed sunt quidam etiam concludendi modi, quae ab ea aliqua ratione recedunt. Horum autem duo genera sunt; alterum eorum, quibus ad absolutionem aliquid deesse videtur, h. e. quae non habent tres enunciationes; alterum eorum, quae pluribus enunciationibus constant, ac ad syllogismum requiruntur. De vtroque genere pauca dicamus.

78. Superiori generi subiecta est ea forma, quae *Enthymema*, etsi mutata veteri Aristotelea significatione verbi, dicitur, quaeque est ratio concludendi trunca quaedam et decurtata, sine diserta propositione aut assumtione, quoniam scilicet est eiusmodi, vt nemini non sua sponte in mentem veniat, et vel non expressa facile intelligi possit, Aristoteli syllogismus μονολήμματος dicitur. Fit autem in hunc modum: peperit, virgo itaque non est; omne triangulum est dimidium parallelogrammum, igitur acutiangulum etiam. Ex quo intelligitur, huius generis syllogismum esse quoddam concludendi compendium, facileque ad pleni perfectique syllogismi modum redigi posse. De Enthymemate vero, ex veterum sententia, in Rhetoricis agemus, cum ipse Aristoteles, Cicero, Quinctilianus ad Rhetoricam vnice retulerint.

79. Eo-

79. Eodem genere comprehenditur ille concludendi modus, qui ex vno aliud ei connexum et consequens colligit, nullo perfecto absolutoque syllogismo adhibito, *consequentias immediatas* vulgo vocant, rectius *consectaria*, neque si accuratius consideres, ab enthymematis multum differunt. Consectariorum autem colligendorum non vnus modus est. *Primus* est, cum sumto vno, infertur aliud, quia a priori non re, sed verbis tantum discrepat (§. 56.) in hunc modum: Summa angulorum, in quocunque triangulo aequalis est summae duorum rectorum, est ergo summa angulorum trianguli ad rectum angulum quemque in ratione dupla. *Alter* modus est, cum a superiori et primario ad inferius et secundarium (a subalternante ad subalternatum) h. e. a genere ad formas, a forma ad res subiectas singulares procedimus, vt in hoc: Omnis scientia certa est, itaque Philosophia etiam; quem quidem modum nemo est, quin ad enthymema referri posse videat. *Tertius* est, qui a repugnantibus et disiunctis ducitur, cuiusque fundamenta ex superioribus illis repetenda sunt, quae de repugnantibus et disiunctis diximus. (§. 58) Eius modi has faciamus formulas: In vno puncto non possunt plura esse perpendicula, vnum itaque tantum locum habet. Mundus est fortuitus: non itaque necessarius. Mundus non

est

est necessarius; est ergo fortuitus. *Quartus* modus a conuersione (§. 57.) arcessitur, cum vniuersum negans aut partem affirmans enunciatio conuertitur, vt, quod subiiciebatur, praedicetur, sic fere: Nulla res necessaria mutari potest, cogitur itaque, nullam rem, quae mutari possit, necessariam esse. Quaedam triangula aequicrura sunt, sequitur ergo, quasdam figuras aequicruras esse inter triangula.

80. Posteriori generi subiicitur *Sorites explicabilis*, h. e. qui recte concludat nec ne, intelligi, et, si hoc sit, reprehendi frangique potest, *Inductio* et *Dilemma*. *Sorites* est, qui quod erat primi consequens, facit antecedens alterius, eique annectit nouum consequens, atque ita progreditur, donec eo perueniat, quo contendebat. Eius duo genera faciunt, alterum absolutorum vel categoricorum, alterum eorum, quae conditionem adiunctam habent. Sed quoniam est in vtroque genere antecedens et consequens, et quae cum conditione est, enunciatio facile potest ad absolutam reuocari, istam distributionem praetermittamus. Procedit autem ita in Sorite ratio: Qui alterum amat, eius felicitate et bonis laetatur; qui alterius bonis et felicitate laetatur, operam dat, vt ipse aliquid ad eius felicitatem afferat; qui hoc operam dat, omnia facere debet, quae ipsi grata esse scit; qui omnia facere debet, quae alteri

grata

grata esse scit, ea facere debet, quae iubet fieri; Ergo, qui alterum amat, ea facit, quae is fieri iubet. Facile autem intelligitur, Soriten huius generis in syllogismorum integrorum formulas coniici posse, et tot quidem, quot sunt in Sorite notiones duabus sumtionibus communes, in hunc fere modum: Si, qui alterum amat, eius felicitate laetatur, operam dat etc. sed verum est primum, ergo etiam secundum. Si, qui alterum amat, operam dat, vt ad eius felicitatem aliquid afferat, efficitur, vt, quae grata ipsi fore intelligit, facit. Aliqui illud est, itaque et hoc. Si, qui alterum amat, facit, quae ei grata fore intelligit, sequitur, eundem ea facere, quae is, quam amat, fieri vult. Quare, cum sit illud, hoc quoque sit, necesse est Ex quibus intelligitur, Soriten mirifice compendiis conclusionum inseruire. Soritae legitimi exempla sunt apud Lactant. de falf. relig. c. 16. Cic. de off. III. 6.

81. *Inductionem* dicunt genus conclusionis, quo, quod singulis tribui negariue posse constat, tribuitur etiam formae, et quod singulis formis, etiam generi, cui subiectae formae sunt. Est igitur ex duabus partibus, ex sumto vno et concluso: Etsi et ipsa facile in formulam pleni syllogismi coniici possit. Vt in hoc: Homo sentit, brutum sentit: Ergo omne animal sentit. Vna est, sed duarum partium sumtio.

In

In quo genere illud inprimis obseruandum est, in enumeratione singularum formae subiectarum rerum, aut formarum sub genere comprehensarum, nullam temere esse praetermittendam, si illud concludendi genus aliquam vim habere velimus. Quod cum saepe fieri non possit, inprimis tum, cum rerum singularium magnus numerus est, periculosum hoc totum genus, rarissimeque, atque nonnisi cum magna cautione adhibendum esse merito putatur. Vtuntur autem hoc concludendi modo Geometrae, vbi eum, qui ad circumductam est, angulum dicunt esse dimidum eius, qui ad centrum est, sed eodem arcu nititur. (Geom. §. 61.)

82. *Dilemma* denique est ex consequentibus syllogismus, sed cuius ipsum consequens est ex disiunctis. Eius haec formula est: Si possunt esse in eodem puncto rectae plura perpendicula praeter vnum, aut extra illud sint, aut intra illud necesse est. Sed nec intra, nec extra id cadere possunt; Nullum igitur praeter vnum esse potest. (Geom. §. 58.) Alia est apud Ciceronem de Diuinatione L. II. c. 49. e Stoicorum scholis petita: Si sunt Dii, neque ante declarant hominibus, quae futura sint; aut non diligunt homines: aut, quid euenturum sit, ignorant: aut existimant, nihil interesse, hominem scire, quid futurum sit: aut non

censent, esse suae maiestatis, praesignificare hominibus, quae sint futura: aut ea ne ipsi quidem Dii significare possunt. At neque non diligunt nos, cetera. In hoc autem genere eae fere regulae obseruandae sunt, quae in illa ex diiunctis conclusione, de qua supra egimus §. 76.

83. *Syllogismus perfectus*, si veteres Graecos sequare, est, qui plenam probandi virtutem habet; is autem, qui hac caret, *imperfectus*, vt adeo etiam secundae tertiaeque figurae syllogismi imperfecti dici possint. Recentiores autem imperfectum hunc dicunt, qui est aliqua parte, aut propositione aut assumtione truncatus, et quasi mutilatus; perfectum autem, qui ex duabus sumtionibus fit.

84. Ex syllogismis efficitur *demonstratio*, quae est, vt Ciceronis definitione vtar, ratio, quae ex perceptis, hoc est, certo cognitis, ad id, quod non percipiebatur, adducit. Non autem ex omnibus syllogismis demonstratio efficitur, sed ex his, quae sumtiones ponunt, quae aut ex se intelliguntur, neque obscuritatis quicquam aut dubii habent, aut quas, quia alio loco demonstratae sunt, facile quilibet concedat, aut quarum etiam demonstratio afferatur. Quare, cum haec ex se intelligantur, quae notionum communium numero sunt vel axiomatum, definitiones, item, quae sensibus percipiuntur et comprehenduntur, in id demum syllogismorum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0086
DFG

rum genus demonstrationis nomen auctoritasque cadit, quod notiones communes, definitiones et sensibus comprehensa sumit. Cuius generis qui est syllogismus, vnus ad perfectam et suis absolutam modis numerisque demonstrationem sufficit, modo ne sit in concludendi modo ab his aberratum discessumque legibus, quas conficiendis syllogismis statuimus. Huiusmodi syllogismus hic est: Quae figura tribus lineis circumscripta est, triangulum est, sed figura haec est tribus lineis circumscripta; est ergo triangulum. Nam propositio est definitio, assumtio sensibus percipitur, neque negari ab intendente sensus oculorum potest. Ex his autem sumtis cum rite sit conclusum tertium, nihil syllogismo ad veram plenamque demonstrationem deest.

85. Sed si est aut vtrumque sumtum, aut alterutrum non ex eorum numero, quae sine approbatione admitti possunt concedique; vt demonstratio absolutionem suam consequatur, efficiendum est, vt, ex quibus ea sumtio colligi, tanquam ex nouis sumtis, possit, intelligatur. Id fit nouo adhibito syllogismo, in quo conclusum est id, quod in priori sumebatur. Atque ita progrediendum est, donec perueniatur ad eiusmodi sumta, in quae nulla omnino approbatio cadit. Sed huius rei exempla sunt

Parte prima allata p. 10. quae huc etiam referri possunt.

86. Non vnum autem esse demonstrandi modum, eodem loco, quo docendarum rerum mathematicarum vias et regulas expossuimus, (P. 1. p. 9.) satis ad huius libelli consilium ostendimus, et cuiusque modi exempla et formulas attulimus, vt eadem aut plura de his nunc dicere nihil attineat. Vna tantum restat, de qua dicendum paucis est, demonstrationis in duas formas distributio, quarum alteram, quae ex definitionibus et notionibus communibus ad alias res concludendas progreditur, quaeque nil differt ab his formis, de quibus loco dicto expositum est, *demonstrationem a priori* dicunt: alteram vero, quae ex rebus sensu perceptis, adhibitis definitionibus, notionibus communibus aliisque enunciationibus certis colligit verum, *demonstrationem a posteriori* appellant. Eius exempla in doctrina de mente humana occurrunt, et hoc demonstrationis genere omnis Physica, item eae doctrinae mathematicae partes continentur, quae magnitudinis numerorumque scientiam ad res naturales explicandas adhibent.

87. Demonstrationis, omnes largiuntur, aut facto experimento, sentiunt, hanc vim auctoritatemque esse, vt non ducere homines, sed rapere planeque cogere ad assensionem videatur; vt,

vt, qui hac via ad veri cognitionem peruenerit, non incerta aut instabili, sed constanti quadam firmissimaque assensione ducatur, omni erroris metu remoto, omnique dubitatione sublata. His itaque, quae iis rationibus confirmantur, quae conuelli non possunt, omne cum *certum* et *assensionis firmitas*; tum omnis *scientia* gignitur. (conf. Psychol. §. 53. 54.)

88. Sed, vt istam demonstratio virtutem exserere, aut sentiri ea virtus percipique possit, faciendum sedulo est. Namque multi aut nullam experiuntur magnopere vim demonstrationum vel absolutissimarum, aut eas memoria tantum, non mente ac ratione, comprehendunt. Itaque, vt ipsa intelligentia et ratio eas complectatur, opera danda est, primo, vt omnium sumtorum veritas plane constet, deinde impressam quandam ac informatam animo demonstrationis perfectae notionem habeamus, ad quam, quemadmodum ad regulam linea, ita demonstratio quaeque exigatur. Si enim intellexeris, nihil esse sumtum, quin aut sine vlla approbatione concedi debeat, aut sit satis approbatione confirmatum, nihilque esse in concludendi modo a regulis conclusionum legitimarum discessum, atque recte adeo legibus demonstrandi, et demonstrationi inter se sibi conuenire, omnem demonstrationis vim senties.

89. Certo contrarium est incertum, et infirmitas imbecillitasque assensionis, quae *inscientia* (*v. Cic. Qu. Acad. I. II.*) *vel opinio* dicitur, et ex his gignitur, quae non possunt ita demonstrari, aut non sunt certe demonstrata, vt demonstrationis leges postulant. (Psychol. §. 53.) Id autem duobus modis fit; quorum alter est, cum, quomodo sumtum conclusumque cohaereant, non satis intelligitur, aut aliquid sumitur eiusmodi, quod nec ex se intelligitur, nec, ex quo, tanquam sumto, colligi possit, doceri potest, vt adeo concluso ultimo et praecipuo aliquid ad absolutam perfectamque veritatem desit.

90. *Fidem* dicimus eum assensum, quem enunciationi tribuimus, quia et rem declarat, quae cadere in sensus humanos potest, et testes adsunt, quibus nihil vitii dicere possis, hoc est, qui primo rem eam, de qua sermo est, ipsi viderunt, aut alio quocunque sensu, cui est res subiecta, perceperunt; deinde viri boni honestique, veritatis certe amantes studiosique sunt; qui nihil porro aut odio aut amori tribuunt, neque cuiusquam in testimonio dicendo gratiam sequuntur. Sed hi etiam fidem merentur, qui rem ab his acceperunt, qui eam viderunt, ipsique sunt tales, quales diximus. Denique ad fidem faciendam, valet etiam testium plurium conspiratio, inprimisque horum testimoni-

monium, quorum intererat, rem aliter esse, quique amore eorum ducuntur, de quibus res turpes minimeque laudabiles narrant, aut hos odio prosequuntur, quorum res laudabiles referunt. Qui autem non sunt eiusmodi testes, aut res repugnantes narrant, omnis his fides merito abrogatur.

91. Ad fidem vero infirmandam debilitandamque, etiam in his rebus, quae sunt ab omni repugnantia liberae, multum facit testium dissensus, si, cui plus tribuendum sit, ignoratur, aut si vtriusque aliqua auctoritas est: interdum vero etiam eorum silentium, qui rem neque propter celebritatem ignorare, neque propter magnitudinem recte praetermittere poterant: denique si temporum rationibus non satis congruit.

92. Iam, quin fides ita certa, et, quae testimoniis efficitur, assensio ita constans esse et firma possit, vt ei, quam demonstratio gignit, nihil quicquam concedat, nullo modo dubitari potest. Nam si quis velit comparationem instituere, et, certiusne sciat, aut firmius credat hoc: triangula eiusdem altitudinis ita vt bases ad se referri, an haec: Caesarem esse Idibus Martiis in curia, auctoribus Cassio et Bruto, interemtum, aut, Ciceronem Consulem Romae fuisse; nihil interesse facile sentiet. Quo magis stabilis assensio ea putanda est, quae testi-

monio diuino paritur. Nam cum Deus ea scientia et sapientia, eaque bonitate sit, vt nec falli ipse, nec alios fallere possit, quod in Theologia docebimus, efficitur, vt, quae ipse dixit, certissima sint, qualiacunque nobis tandem videantur, qui in leuissimis saepe rebus atque obuiis coecutimus, atque a vero aberramus.

93. Opinionum duo genera sunt: alterum earum quae verosimiles sunt et probabiles; alterum autem harum, quae nullam magnopere speciem veritatis habent, neque possunt tamen ita conuelli rationibus et conuinci, vt inter errores aperte referri possint; *improbabiles* dicunt. *Probabile* dicunt, quod ad veritatem accedit, et cui quaedam veritatis notae insunt; ex quo etiam *simile vero* dicitur. Nam ea similia sunt, quae quibusdam quasi partibus concinunt, et quaedam habent communia. (ontol. §. 19.) Sed vt non vnius generis res sunt, in quas cadere probabilitas potest, ita diuersae quoque sunt eius agnoscendae intelligendaeque notae. Nam cum quaeritur, sitne possibile aliquid natura sua et notione? neque demonstrationis via ea res intelligi potest, probabile fiet, si nulla poterit manifesta repugnantia in ea re deprehendi, etsi non possit ostendi omnino nihil repugnantiae ei rei inesse; id enim si fieri posset, certum esset, eam inter ἀδύνατα non pertinere. In his autem rebus, quae sunt in facto positae, in quibus-

busque non hoc modo: fierine possint? sed hoc etiam: num sint, aut fuerint aliquando, futuraeue sint? quaeritur; in his, inquam, etsi primum sit in probabilitate, non tamen ad probabilitatem sufficit ostendisse, nihil ei rei repugnantiae inesse (ontol. §. 7.) sed adferendae etiam rationes sunt, ex quibus, non plane quidem perfecteque, sic enim esset certum, sed ex parte tamen intelligi potest, quare res contigerit, aut futura sit, aut denique iam sit. Huiusmodi hoc est: Probabilene sit, a Germanis Gallos victum iri? quae res etsi per se nil repugnantiae habet, cum non semel sint a Germanis Galli prostrati et superati; non tamen propterea fit verosimilis: nam et Galli non semel Germanos nostros vicerunt. Sed si quis etiam hoc ostenderet: Germanos praestare Gallis ducum experientia et prudentia, militum viribus et animis, locorum opportunitatibus, et quae alia habent aliquam ad spem victoriae vim; probabile is efficeret id, quod quaerebatur, non autem certum. Nam, his etiam omnibus positis, supereſt tamen euentus, quem ob varietatem casuum, qui incidere possunt, nemo potest praestare. Quoniam autem in hoc rerum genere probabilitas pendet ex rationibus causisque, quarum pars cognoscitur; efficitur, vt, quo quis plures rationes intelligat adesse, eo magis videat esse probabilem rem.

Quae res satis declarat, ex quo quasi fonte sint probabilitatis gradus arcessendi. Eorum autem, quae solis testimoniis conficiuntur, probabilitas ex testimoniorum ratione intelligitur. Quo enim magis in ea quadrant, quae de testimoniis fide dignis (§. 90.) diximus, eo probabilius fit, de quo quaeritur.

94. Sed quoniam probabile eodem argumentorum genere, quo certum, conficitur, (§. 87.) in philosophia scilicet, et in omnibus rebus, quae in contemplatione positae sunt, rationis momentis, etsi minime plenis, in his autem quae in facto, testimoniis; intelligitur, modum viamque inueniendae colligendaeque probabilitatis nihil discrepare ab inueniendi certi ratione. Itaque cum certum syllogismorum inter se cohaerentium serie conficiatur (§. 77. 78.) in eo rerum genere, quod in contemplatione positum est, sequitur, probabile quoque in hoc genere ita inueniri. Sed quoniam probabilitati aliquid ad veritatem deest; approbationi etiam, et ipsi syllogismorum seriei ad absolutionem demonstrationis aliquid desit, necesse est: quod, quale sit, supra (§. 84.) ostendimus. Ex quo conficitur syllogismum probabilem a demonstrante non forma, sed materia, quod aiunt, discrepare. Syllogismum probabilem dicunt etiam *dialecticum* vel *topicum*, male quidem, minimeque ex veterum sententia.

Nam

Nam veteres dialecticam eam dicebant, quam nos logicam, et in Topicis sunt etiam loci, ex quibus demonstratio ducitur. Sed de Topicis in Rhetorica.

95. Ad opiniones pertinent etiam *hypotheses*, quas vocant; quarum haec ratio est, vt tanquam verum sumatur, quod, verum esse, non potest demonstrari, vt scilicet ex eo reddi ratio eorum possit, quae experientia cognoscuntur. Eiusmodi opiniones sunt Astronomorum de motu quieteque terrae solisque; quarum neutra quidem demonstrari potest, vtraque tamen propterea excogitata est, vt eorum ex his opinionibus reddi ratio possit, quae in coelo siue corporibus coelestibus obseruantur. Hae opiniones propterea sumuntur, quia non potest semper ex effectu sensibus percepto, caussa eius existendique modus intelligi, cum aut manca sunt et minime sufficientia, quae experientia nos docet, aut principia alia demonstrandi desunt, ex quibus cum experientia collatis vera caussa erui possit. Quae enim experientia cognoscuntur, nonnisi assumtiones syllogismorum sunt, quia rerum singularium sunt, ex quibus, nisi propositiones etiam accedant, concludi nihil potest (§. 68.) In omni autem huiusmodi opinione duo praecipue tenenda sunt, primo, vt nihil repugnantiae habeant, deinde

inde ne ex iis quicquam demonstretur, quia incertae sunt.

96. Opinio falsa *error* dicitur. Eius duae caussae sunt. Nam in errorem incidimus vel propterea, quia sumuntur, quae falsa sunt, h. e. enunciationes legibus enunciandi minime consentaneae, vel quia ex veris sumtis male peruerseque concluditur. Ex quo patet, duas esse *reprehendendi* conuellendique erroris vias: alteram, quae sumtum esse doceat, quod concedi nequeat; alteram, quae ex recte sumtis perperam conclusum esse ostendat. Si enim, quae sumuntur, concedis, et vitiose concludi negas, quod conclusioni facias, nihil habes, quia ipsa ratio connexi, cum concesseris superiora, cogit inferius quoque concedere.

97. Sed cum multae sint in ipsis hominum ingeniis caussae, quae faciunt, vt saepe in errores incidant, et falsum pro vero amplectantur, vt imbecillitas ingeniorum naturalis, rerumque ipsarum obscuritas; praecipua tamen est turpissima illa seduloque cauenda iudicandi assentiendique temeritas, ex qua praeiudicatae antecaptaeque opiniones proficiscuntur. Quidam enim aut eius, quem praeceptorem nacti sunt, reuerentia permoti, aut oratione capti, ita se ad eius auctoritatem totos conferunt, vt ad quamcunque sententiam praeceptoris oratione quasi vento deferantur, ad eam, tanquam ad scopu-

scopulum, adhaerescant. Alii autem natura ita sunt tardo ingenio hebetique et stupido, vt, quicquid primum audiunt, verum putent, nihil dubitent, nihil obscuritatis, nihil difficultatis videant, atque adeo, nulla rei consideratione instituta, quid verum falsumue sit, decernant. Alii denique impatientes molestiae, quae meditantibus et considerantibus accurate quamque rem deuoranda est, malunt, quodcunque primum oblatum est, arripere, quam, quale sit, inquirere, atque adeo nimis iudicium properant et praecipitant.

98. Saepe errori locum faciunt etiam captiosae concludendi rationes, quae legitimarum conclusionum speciem habent, sed iis re ipsa minime, si accuratius inspexeris, consentiunt; quod genus concludendi *Sophisma*, *cauillationem* dicunt. Totum autem hoc genus hominibus Graecis debetur, qui quaestus et iactantiae caussa philosophabantur, et id vnum operam dabant, vt rem quamque disputando huc illucque traherent, et imperitos minimeque acutos homines captiosis suis conclusionum laqueis ita implicarent irretirentque, vt quomodo se expedirent, non reperirent; quod vnum vbi efficere poterant, summam se ingenii acuminisque laudem consecutos esse putabant. Quae res fecit, vt hoc hominum genus, Sophistas dicebant, apud peritos rerum aestimatores magnum

magnum sibi contemtum contraheret. Sed age, praecipua genera paucis explicemus, quoniam etiam ambiguorum intelligentiam docere, Dialecticae est.

99. In duas autem formas in vniuersum omnia distribuunt: quarum altera haec est, quae in verbis, syllabis, ac singulis literis haeret; altera autem, quae in ipsis rebus adhibetur. Earum fallaciarum, quae in verbis versantur, sex modi esse dicuntur. Sed hae fallaciae conclusionum omnino ridiculae sunt, ac indignae, quae hoc loco explicentur. Neque enim, quomodo dissoluantur, opus est, docere, cum ipsae se facile dissoluant, nullaque magnopere ars, nullum acumen ad ea conuellenda opus sit. Earum autem fallaciarum, quae rebus ipsis continentur, septem vulgo modi traduntur. *Primus* est, cum quod rei casu quodam atque affectionis cuiusdam modiue instar (per accidens) inest, ei tribuitur ita, quasi per se ei insit et natura sua: vt, si ex eo, quod nonnulli eruditi superbi sunt, concluditur, eruditos omnes esse superbos, ac ipsam eruditionem esse superbiae genitricem. *Alter* est, cum ex eo, quod rei tribui aliquid cum conditione, aut secundum certam partem potest, colligitur id absolute ei simpliciterque tribui posse; cuiusmodi hoc esset: Si homo moritur, mens quoque hominis moriatur, necesse est. Item hoc: Lex Mosaica

saica antiquata est, ergo etiam de vitando adulterio lex. *Tertius* est, qui ex *ignoratione elenchi*, h. e. eius, quod vere rem caussamque continet, ducitur. Vt si quis in ea quaestione, quae ad diuinam Christi naturam pertinet, ita concluderet: Qui ex foemina natus est, non potest esse Deus: sed Christus est ex foemina natus; non est itaque DEVS. Non enim quaeritur, an Christus sit, qua est ex foemina natus, qua homo est, idem etiam DEVS; sed num praeter humanam, diuinam etiam naturam habeat. *Quartus* omnium latissime patet, qui *consequentis connexiue* dicitur, cum ex sumto infertur, quod ex eo intelligi non potest, de quo non opus est, vt multa dicantur, quia iam in superioribus inter vitiosos concludendi modos relatus est. *Quintus* est, quem *petitionem principii* dicunt, vel *demonstrationem in orbem* dixeris, cum scilicet, quod probari debebat, ad sui approbationem confirmationemque ipsum affertur, aut quod aeque obscurum, aeque incertum, aeque falsum est; Vt si quis dicat, Deum esse, quia quaeque res, quam hic mundus continet, suum finem habeat, certo sit consilio condita; omnia autem certo consilio facta esse, ex eo colligat, quod Deus sit: aut si quis ex eo concludat Deum omnibus rebus praesentem esse, quia a nulla re distet. *Sextus* modus est, *cum caussae loco affertur*, quod

nullam

nullam causſae vim rationemque *habet.* Huius exempla haec esse possunt: Quia, quo tempore arbores gemmas edunt, foliis ornantur, in florem se induunt, eodem ranae clamant; ranarum clamore gemmae, folia floresque protruduntur. Quia, paullo ante, quam Rex quidam mortuus, aut graue bellum ortum est, Cometa in coelo apparuit; Cometa significandae praenunciandaeque eius rei causſa apparuit. *Septimus* denique est, *ex pluribus interrogationibus* ita enunciatis, vt vnius speciem habeant, quibusque ita implicatur responsionem daturus, vt facile capiatur. Huiusmodi haec interrogatio est; Desiistine scortari? Nam haec interrogatio vna duas complectitur: Num scortatus es? Num tandem desiisti? Sed hi quoque fallaciarum modi facile, cognitis superioribus, diluuntur.

100. Sed priusquam hunc locum relinquimus, iuuat quasdam fallaces concludendi rationes afferre, quarum fit apud Veteres mentio, quarumque olim celebritas quaedam et fama fuit. Incipiamus ab his generibus, quae Ciceroni *Inexplicabilia*, Graecis ἄλυτα, ἄπορα dicebantur, et quidem a *Sorite*, non eo, de quo diximus, sed eo, qui apud veteres celebris fuit, captiosissimo et lubrico admodum genere, quo Stoici inprimis vsi sunt. Est autem Sorites hic nihil aliud, nisi genus interrogationis, cum semper

semper minutatim aliquid et gradatim additur aut demitur, aceruusque, vt Cicero ait, efficitur vno addito grano, et ex eo, quod perspicue verum est, adducimus disputantem ad perspicue falsum; vt cum gradatim interrogatur, verbi caussa, tria pauca sint, an multa? negantique instatur: quatuor autem pauca sint an multa? atque ita pergitur interrogando. Nam his interrogationibus ita vrgetur, qui interrogatur, vt, vbi se sustineat quiescatque, in quo tandem numero desinat, et multa esse dicat, non inueniat. Eius exemplum etiam hoc est apud Ciceronem: Si tale visum obiectum est a Deo dormienti, vt probabile sit, cur non etiam vt valde verisimile? cur deinde non vt difficiliter a vero internoscatur? deinde, vt ne internoscatur quidem? postremo vt nihil inter hoc et illud intersit? vid. Quaest. Acad. IV. 16. 29. aliud exemplum vide apud Horat. L. II. Ep. 1. In omnibus autem Sorites hic adhiberi potest, quae gradibus diuersis obnoxia sunt, et ad se referuntur, vt magnus, paruus, doctus, indoctus, latus, angustus, ceteris. Nam cum ea sit mentis nostrae imbecillitas et hebetudo, vt, qui supremi sint, infimique rerum gradus, et quae sint huius generis rerum fines et termini, nequeat definire; minime possumus huius generis perplexas et tortuosas interrogationes dissoluere. Ad Soritem autem pertinet etiam

Φαλακρὸς, *caluus*, concludendi modus captiosus, quo eodem, quo in Sorite, modo conficitur, caluum non esse, qui caluus est. Φαλακρῦ mentionem fecit Diogenes Laërtius in Euclide.

101. Alterum inexplicabilium est *mentiens*, *Pseudomenos*, ab Eubulide inuentus, et in Schola Euclidis Dialectici vsitatissimus, quo nihil apud veteres celebrius in hoc genere fuit. Eius formulam hanc Gellius XIIX. 2. attulit: Cum mentior, et mentiri me dico, mentior, an verum dico? Sed haec formula ita facile conuelli et dissolui potest, vt quo iure inter inexplicabilia referri possit, nemo quisquam intelligere possit; nisi accuratius, quam ea vim habuerit, ostendatur. Scilicet quoniam Dialectici hoc dicebant esse totius Dialecticae fundamentum, vt certe est: Omne enunciatum esse vel verum vel falsum; qui, nulla certa nota discerni verum a falso posse dicebant, Academici ad soluendum hoc Dialecticae euertendumque fundamentum, formulam interrogationis excogitauerant, qua ita circumscriberent Dialecticos, vt nec affirmare quicquam, nec negare possent. Atque haec erat illa, quam e Gellio attulimus, quae est etiam apud Ciceronem Qu. Acad. IV. 30: Si te mentiri dicis, idque verum dicis, te mentiri, verum dicis? Hoc enim, si quis respondebat, esse verum; ita eum vrgebant: Si dicis nunc

nunc lucere, verumque dicis, lucet: Ergo si dicis te mentiri, verumque dicis, mentiris. Nam in vtroque est eadem concludendi ratio. Primum autem recte conclusum est, eique haec formula substitui potest, quae est etiam apud Ciceronem l. c. Si lucet, lucet; lucet autem: lucet igitur, in qua nihil reprehendi potest. Nihil autem ab hac conclusione differt haec: Si mentiris, mentiris: mentiris autem: mentiris igitur. Contra, si quis negabat, verum esse superius, hoc eum syllogismo repellebant: Qui se dicit mentiri, cum reuera mentiatur, verum dicit: tu autem dicis de mentiri, et reuera mentiris; verum ergo dicis. His ita in angustias compellebantur miseri Dialectici, vt haec inter inexplicabilia referenda statuerent Cic. l. c. Sed haud difficulter puto intelligi posse, non adeo inexplicabile hoc esse; modo hoc caueatur, ne vnum respondeamus, aut, verum esse, aut, falsum esse; sed ita: mentiris, qua mentiris, sed verum dicis, qua verum est, quod ais, te mentiri.

102. Sed alia huius generis Sophismata recenseamus, sed breuius, *Ceratinus, cornutus* dicebatur hic Syllogismus, et qui eius formulae consentiebant: Si quis quid non abiecit, id adhuc habet: cornua autem non abiecisti; habes igitur cornua. Sed facile haec dissoluitur fallacia. *Crocodilina* fallacia haec dicebatur,

quam et *ferram* dicebant: Si crocodilus puerum raptum hac lege se promitteret redditurum, si diceret quis, quid ipse de hac re decreuisset, verumque diceret, et mater v. c. diceret: mihi non vis reddere; ita crocodilus fingitur respondere: Non reddam, vt dixeris verum; neque reddere debeo, si falsum dixisti, quia conditioni non paruisti. Huic autem mater ita: Si verum dixi, debes reddere ex pacto; falsum autem me dixisse, hoc uno modo ostendere potes, si reddis. *Cooperti et latentis* (ἐγκεκαλυμμένε καὶ διαλεληθότος) eadem ratio est et formula: Num patrem nosti? Recte: Num hunc nosti, qui hic coopertus est, qui hic latet? Non. Sed est pater tuus; patrem ergo et nosti, et non nosti. Nemo non videt illud, nostine? duplicem vim habere, atque ita hanc fallaciam dissolui. Eius fere generis est etiam, quae *Electra* dicitur, nullius momenti. Electra fratrem nouit esse suum Orestem. Sed Orestes cum ea loquitur, nec nouit esse fratrem suum. *Reciprocum*, (ἀντιστρέφον) nil est, nisi dilemma. Eius formula haec est Biantis responsio consulenti de ducenda uxore data: ἤτοι καλὴν ἕξεις, ἢ αἰσχράν· καὶ ἢ καλὴν, ἕξεις κοινήν· εἰ δὲ αἰσχράν, ἕξεις ποινήν. Quod responsum ita conuertebatur a quaerente: εἰ μὲν καλὴν ἕξω, οὐχ ἕξω ποινήν· εἰ δὲ αἰσχρὰν οὐχ ἕξω κοινήν. Celeberrimum est illud Protagorae, et discipuli Euathli

Euathli apud Gellium V. 10. Sed praetermittamus cetera. Num aut non sunt magni momenti, aut ne satis quidem, qualia sint, constat. *Achilles* autem et *Ignaua ratio*, cui *Dominans* et *Metens* simillimi, sunt digna quidem cognitu, ad Logicam tamen non pertinent. Pleraque explicauit Menagius ad Laertium p. 121. sq. et Facciolatus, in Acroasibus Dialecticis, vt alios taceamus.

PARS II.

CAP. I.

De definitionibus, iudiciis, syllogismis et demonstrationibus inueniendis, formandis.

103.

SVperioribus capitibus explicata est omnis omnium definitionum, enunciationum, syllogismorum demonstrationumque natura, omnesque omnium regulae traditae sunt et leges. Nunc quomodo his regulis quasi ducibus ea omnia inueniantur, quomodo ad eas exigantur, consentaneum est docere. Vt enim in nulla re, ita nec in hac arte nostra adeo magnus regularum vsus, nisi, qua via et ratione adhibeantur in his rebus, cum inueniendis, tum diiudicandis, ostendatur. Sed ab inuentione incipiamus.

104. Definitiones sunt notiones distinctae eaeque absolutae, verbis expressae (§. 5.) itaque definitionem cuiuscunque rei antecedat notio eius necesse est, animo impressa et informata, eaque distincta et perfecta. Nam cum verba sint ad significandas cogitationes notionesue nostras comparata, quomodo verbis exprimi, hoc est, definiri notio animi potest, quae nulla est? Qui itaque ad definiendam rem quamcunque accedit, hoc, relictis omnibus, operam det necesse est, vt, distinctamne rei notionem animo comprehenderit, consideret, et de ea comparanda sollicitus sit. Nam etiam hic locum habet illud Horatii:

Verbaque prouisam rem non inuita sequentur.

Sed notiones triplici via et ratione consequimur, nempe vel *sensuum ope*, vel *abstractione* aut *detractione* eorum quae singularibus et formis communia sunt, vel denique *arbitraria coniunctione* et compositione eorum, quae seiuncte percepimus. (Psychol. §. 23.)

105. Si itaque res definienda erit, quae in sensus externos cadit, ea, si fieri potest, oculis subiiciatur, atque, sensu animoque in eam intento, de ea, quot possunt, iudicia ferantur, quibus omnibus subiecta res ipsa sit; deinde quae eiusmodi sint, cogitetur, vt abesse a re possint, eaque

eaque remoueantur; denique quorum vnum ex altero tanquam ſumto colligi poſſit, conſideretur, atque et horum alterutrum ſeponatur; quae autem relinquuntur, definitione comprehendantur (vid. §. 9. ſqq.) vt ſi quadratum definiendum ſit, primo ſubiice oculis quadratum quodcunque E F G H, et haec enuncia: quadratum eſt figura, quadratum eſt quadrilaterum, quadratum quatuor angulos continet, quadratum eſt aequilaterum, quadratum eſt aequiangulum, quadratum eſt rectiangulum, quadratum eſt lateribus parallelis, quadrati E F G H quodcunque latus eſt X. pedum. His enunciatis, ſingula conſidera, et, num forte aliter eſſe poſſint, ſalua figura, vide; intelliges autem magnitudini X. pedum aliam quamcunque poſſe eſſe ſubſtitutam, niſi vero hoc vnum E F G H fieri poſſe putes, quod, per ſe patet, falſum eſſe. Deinde inter ſe compara attributa ſingula, videbis, quadratum quatuor angulos habere, quia eſt quadrilaterum, parallela latera eſſe, quia ſunt omnia aequalia, rectiangulum porro eſſe, quia et quadrilaterum, et aequilaterum, et aequiangulum eſt. Haec tria itaque vna cum ſuperiori illo abiice; quae relinquuntur, definitionem quadrati conficient. Inprimis autem ſuademus inueniendarum definitionum artificium primum in figuris Geometricis docere, quia nullarum rerum facilius definitio-

nes fiunt. Quis autem nescit, in omni re a facillimis incipiendum esse?

106. Quid autem faciendum his erit, quae in sensus non cadunt, neque externos, neque internos etiam? Hic vero quoque parata est responsio. Nam quae res sensus fugiunt, plerumque tamen actiones edunt, quibus agnosci possunt. Horum itaque definitionem consequere, si actionem eorum aliquam selegeris, quae a nulla alia re proficisci potest. Vt si Dei definitio condenda sit, quia sensibus diuina natura non percipitur, vide, quid egerit eiusmodi, quod in nullam aliam naturam transferri possit. Ea actio sine dubio est effectio huius vniuersi. Deum itaque dices esse auctorem vniuersi. Eodem modo mentem intelliges esse, quae sibi conscia sit, seu quae intelligat et velit.

107. *Abstractione* seu *Detractione* fiunt definitiones formarum et generum, in his itaque condendis ita versabere: Res duas pluresue singulas eidem formae subiectas, id quod ex communitate nominis colliges, inter se compara, et enunciatis de vtraque omnibus, quae enunciari possunt, vide, quid in vtraque diuersum, quid idem; diuersa abiice, communia retine, efficietur formae definitio (Psychol. §. 33.) vt, si hominis definitio postuletur, duos pluresue homines sume; quicquid potes enuncia; omnes enunciationes compara inter se; videbis relinqui

qui communia haec, corpus organicum et mentem; hominem dices itaque eum, qui corpore organico conſtet, et anima rationis participe. Generis autem definitionem hoc modo inſtitues: Duas pluresue generi ſubiectas formas ſume; de ſingulis enuncia, quae ineſſe deprehendis, ſingula; enunciationes ſingulas compara cum ſingulis, diverſas omitte, easdem ſerua, habebis generis definitionem, tanquam ſi figurae definitionem deſideres, conſer inter ſe v. c. triangulum et quadratum. De illo haec enuncies; triangulum continet ſpatium quoddam, ſpatium illud totum et ab omnibus partibus lineis circumſcribitur et finitur, ſpatium tribus lineis comprehenditur. De hoc autem: quadratum complectitur ſpatium, ſpatium illud vbique lineis finitur, ſpatium idem quatuor lineis circumſcribitur. Vides vtrique communia eſſe omnia praeter numerum linearum; hoc itaque remoto, definies genus ſic: Figura eſt ſpatium lineis ab omni parte circumſcriptum et finitum.

108. Tertium autem genus definitionis, qua via et ratione reperiatur, dici ita, vt de ſuperioribus duobus generibus, non poteſt, neque ad regulas revocari, legibusque quibusdam comprehendi. Eſt autem contrarius hic modus ſuperiori, qui, quae coniuncta natura ſunt, ſeiungit §. 107. Nam hic, quae natura, quan-

tum nobis certe constat, seiuncta sunt, coniungit, atque notionibus animo comprehensis aliquid adiungit. (Psychol. §. 23.) Sed quoniam, quae repugnant, non modo non esse, sed ne cogitari quidem possunt; in hoc definitionum genere id inprimis sedulo cauendum est, ne ea coniungantur, quae consentanea non sunt (l. c.) Quod cum non semper ita facile intelligatur, obseruatum sit, nec ne; hoc definitionum genus demonstrationis indiget, qua nihil in definitionem assumtum esse ostendatur, quod eorum quicquam tollat, quae simul sunt in definitionem adscita: quod quidem in superioribus duobus generibus secus est. Nam, quoniam, quae sensu percipiuntur, sunt, quaeque a rebus abstrahuntur mente et cogitatione, sunt illa quoque in re posita et natura, atque, vt in definitione, ita in ipsis rebus coniuncta sunt, nihil eae repugnantiae inter se habere possunt. (ontol. §. 7.)

109. *Definitiones rerum*, quoniam ad origines earum declarandas comparatae esse debent, facile intelligitur, non alia via posse ac modo reperiri, nisi hac, vt quibus ex caussis res efficiatur, quibusque positis ponatur et ipsa, aut ratione et ingenio reperiatur, aut experientia et sensu, externo, si extra nos res est, interno autem, si ad animum pertinet In his autem, quae artificio aliquo efficiuntur, vt machinae, cetera,

cetera, definitionem rerum inuenimus, cognitis primum iis, ex quibus vt partibus eae conficiuntur, deinde modo, ordine et ratione, qua partes inter ſe iunguntur.

110. *Enunciationes* duobus modis *inueniuntur*; quorum alter a ſenſibus omnis ducitur, alter vero a ratione et concluſione ſeu ſyllogiſmo. Quae ſenſibus adiutoribus haurit animus et comprehendit iudicia, ac deinde adhibitis verbis enunciat, experientia dicuntur comparari. *Experientiae* enim tribuunt omne id, quod ſenſibus ſiue externis illis, ſiue internis percipitur. In quo quidem genere illud cauendum eſſe recte praecipiunt, ne iudicium de re percepta ſenſu pro ipſa perceptione habeamus, quod faceret, qui baculum in aqua defixum videns, quia inflexus eſſe curuusque videtur, ſenſibus ſe, baculum eum eſſe inflexum, diceret percepiſſe; aut, qui videns hominem cum multis calamitatibus conflictantem, expertum ſe eſſe diceret, eum hominem grauiter a Deo puniri. Nam calamitates percipiuntur illae quidem ſenſibus, ſed poenarum illae rationem habeant, nec ne, id vero non ſenſuum, ſed intelligentiae iudicium eſt. Sed ſenſu duce enunciationes inueniuntur, cum rem ſenſibus ſubiectam, enunciationis ſubiectum, et, quicquid ei ineſſe atque ad eam pertinere ſentimus, eius attributum facimus. Quae autem ita fiunt enun-

enunciationes, aientes sunt. Porro, si quae eidem rei non inesse videmus, ei negamus, negantes fiunt.

III. Si autem videmus aliquid rei attributum esse, neque posse ab ea remoueri, omnibusque, quae eodem nomine appellantur, inesse, quia id inter proprietates sit, aut ad essentiam pertineat necesse est, enunciationem vniuersalem inuenimus; sin quod antea in re obseruaramus, nunc abesse intelligimus, aut deprehendimus aliquid, quod ante non inerat ei, aut remoueri id, salua re, posse, particularem enunciationem reperimus. Quia autem quae de omnibus in vniuersum enunciantur, etiam absolute enunciantur; quae autem de nonnullis tantum, cum conditione, eodem modo etiam absolutae enunciationes, et quae cum conditione sunt, inueniuntur.

112. Alter inueniendarum enunciationum modus, qui, a priori dicitur, ipse quoque bipartitus est. Primus est, cum definitio in tot enunciationes resoluitur, quot fieri possunt; quae quidem axiomatum vim omnes habent, vt si ex definitione quadrati hae enunciationes fiant: quadratum omne est figura, quadratum est aequilaterum, quadratum est aequiangulum, ceterae. Alter modus autem est, cum ex his, et aliis notionibus communibus, aut enunciationibus quibuscunque adhibitis simul colliguntur.

tur. Id fit, cum redigimus in memoriam alias enunciationes, quae alteram partem, ſubiectum ſcilicet aut attributum habent cum illis commune; eoque facto, ex duabus enunciationibus tanquam ſumtis colligimus tertiam, in vnam enunciationem coniunctis illarum partibus diuerſis. Sed vt redigi poſſint eiusmodi enunciationes in memoriam, et ſponte nobis occurrant, eae familiares nobis ſint neceſſe eſt. (Pſychol. §. 17.) Ex quo efficitur, vt, qui hoc modo enunciationes incognitas inuenire cupit, multa ante cognita habeat memoriaque teneat ita, vt promte illa reddat Sed exemplum huius generis afferamus. Maneamus autem in quadrato. Ex definitione facta enunciatione hac: quadratum eſſe quadrilaterum idemque aequilaterum, ſi venit in mentem, quibus aequales rectae interiectae ſunt, aut eſſe poſſunt, aequali ſpatio ſeiuncta eſſe; colligo, latera quadrata aduerſa eſſe aequidiſtantia ab vtraque parte. Vides, nouam enunciationem eſſe repertam, quae concluſio eſt ex duobus ſumtis; quorum quod in memoriam redegi, propoſitio eſt, quod ex definitione erat, aſſumtio. Sed ſi initia geometrica teneo, cognita hac concluſione: latera quadrati ſunt aequidiſtantia, veniet in mentem, quae lineae aequidiſtantes ſint, eſſe easdem parallelas. Concludo igitur: latera quadrati eſſe parallela. Porro veniet in men-

mentem hoc: quae figurae latera parallela habeant, parallelogramma dici; inferam igitur, quadratum esse parallelogrammum. Iam singula concluſa haec ad ſyllogiſmorum primae figurae formulam reuocari poſſunt; ipſi autem ſyllogiſmi inter ſe eo ordine, quo fecimus, connexi et continuati demonſtrationem efficiunt. Ceterum hic locus erat, quo de foecundiſſimo illo artificio inueniendi diceretur, quo quae incognita, aut nondum demonſtrata ſunt, cum cognitis et perfectis propter deprehenſam ſimilitudinem comparant, atque ex re perſpecta, qualis incognita ſit, inueniunt. Sed quia nemo Arithmeticam ac Geometriam inprimis didicit, quin hunc etiam inueniendi modum teneat; de eo multa dicere nihil attinet. Exempla esse poſſunt haec, cum circulus comparatur cum figura polygonia, et ex hac comparatione eius dimenſio colligitur; cum ſuperficies coni comparatur cum area trianguli, ſuperficies autem cylindri cum area rectianguli. etc.

CAP. II.

De examinandis diiudicandisque definitionibus, enunciationibus, ſyllogiſmis, demonſtrationibusque.

113.

DE inuentione ſatis pro inſtituti noſtri ratione diximus, de iudicio reſtat, vt dicamus;

mus; nam in eo alterum Dialecticae munus versatur. Omne autem in hoc genere iudicium fit, exigendo quaeque ad eas regulas, quibus subiecta sunt, vt definitiones ad definiendi, enunciationes ad enunciandi, syllogismos et demonstrationes ad concludendi demonstrandique leges, considerandoque, satisne his respondeant et consentiant, nec ne. Sed quoniam lubricus hic locus est, et apprime fallax, magna cura adhibenda est, vt ista exactio recte procedat.

114. Vt omnis autem res, ita hoc etiam genus ad regulam suam, ad cuius praescriptum efficta esse et formata debet, exigitur syllogismo, non semper obuersante illo quidem distincte animo, nec ex formula cogitato, sed vero tamen et facile ad formulam redigendo. Huius haec formula est: Quae definitio, enunciatio, ratiocinatio, demonstratio huiusmodi est (vt est scilicet quodque genus definitum in superioribus et explicatum) ea legitima et recta est. Sed quae nunc affertur auribus oculisue, huiusmodi est. Est ergo recta et legitima. Atque in hoc quidem obscuritatis difficultatisque parum est. Sed assumtionis approbatio et confirmatio, ea vero, vt in omni genere eiusmodi, ita in hoc etiam difficilis plerumque, plerisque certe, est, et impedita. Quod quidem propterea

pterea accidit, quia fieri ea recte non potest, nisi et ipsae res cognitae sint, quae definiuntur, aut de quibus aliquid enunciatur, et regulae definiendi, enunciandique.

115. Id igitur ad recte de his rebus iudicandum inprimis requiritur, vt, quicquid est parte prima huius dialecticae praeceptum, intelligatur, discatur, planeque mandetur memoriae, vt in iudicando sponte nobis, suo quodque loco occurrat. In definitionis nominalis autem iudicio in omnes rei definitae partes versetur cogitatio, considereturque, primo, sit ne id in ipsa re, quod in definitionem adhibitum est, deinde constanterne et perpetuo ei sit attributum, vt nunquam, ipsa re manente, abesse possit, omnibusque his insit, quibus idem nomen tribuitur; deinde, num tot rei notae definitione comprehensae sint, vt in nullam aliam rem transferri ea possit; denique an his verbis expressa sit, quae intelligi possint, hocque sint clariora, quod definitur. Haec omnia si ita esse constiterit, recte nomen definitum esse dicetur. Facilius autem hoc iudicium erit, si constet iudicaturo, quae sit rei essentia, aut quae proprietates communes, quae propriae minimeque communes, qui denique modi. vid. §. 10. 11. Si qua res autem alia occurret, in quam cadere eadem definitio potest, si proprietas communis vna, aut modus adhibitus est, si vocabula trans-

translata, eaque aut eo loco obscura, aut non ante definita, aut quae nullam vim subiectam habent in definitione, aut aliud eiusmodi occurret, quod a definitione abesse debere docuimus, vitiosam eam definitionem dicemus. Omnes autem definitiones cum sint generum formarumue, ad easdem eae regulas exigi possunt, quas in iis inueniendis sequendas esse diximus. (§. 107.)

116. In earum autem definitionum iudicio, quae arbitraria quadam visorum coniunctione efficiuntur, possibiles scilicet sint, an repugnantes, tutissima via est, num qua res sit, inquirere, in quam ea definitio cadat. Si hoc enim est, nihil est, quod in definitione reprehendas; cum omne id, quod est, fieri etiam possit; sin minus, videndum est, possintne, quae in definitione sumta sunt, consistere, nec ne; nisi quidem ipse definitionis auctor demonstrationem ei adiunxit. In rerum denique definitionibus, quibus, quo res modo oriantur fierique possint, declaratur, eodem modo instituitur exploratio, vt scilicet aut experientia adhibeatur, quae, quomodo res fiant, ostendat, aut demonstratio, qua, illum existendi modum nihil repugnantiae habere, intelligatur.

117. *Enunciationes aientes* explorantur, considerando, attributum subiecti notione comprehendatur, aut cum subiecto coniunctum sit,

nec ne. Si illud est, reprehendi enunciatio non potest; sin hoc, reiicienda est. Eodem modo *de negantibus* statuitur. Si attributum in subiectum cadere non potest, neque eius notione continetur, nihil peccat; sin subiecto inest, vitiosa est. *Vniuersalis* vera est, si subiectum est genus vel forma, attributum autem proprietas, aut quod ad essentiam rei pertinet; si secus, falsa est. *Particularis* legitima est, si nec totum genus, neque tota forma subiicitur, nec attributi locum occupat proprietas communis, sed propria aut modus; quae aliter sunt, falsae sunt. Recte porro ea *absolute simpliciterque enunciantur*, quae ad essentiam pertinent, quae proprietatum numero sunt; quae autem ad modos pertinent, vitiose: *cum conditione* autem recte enunciantur modi affectionesque rerum, quaeque non ex ipsa notione intelliguntur; cetera vitiose. De ceteris ex ipsis regulis, in superioribus traditis, iudicari potest. Neque *syllogismorum diiudicandorum* peculiares regulae tradi possunt. Regulae de numero notionum, de natura enunciationum, de modo ex sumtis concludendi adhibeantur, facile erit vitium syllogismi cuiuscunque deprehendere. Et quoniam ex syllogismis fit *demonstratio*, non alio ea modo exploratur; nisi quod praeterea videndum est, primo, rectene ipsi syllogismi inter se cohaereant, vt sit scilicet vnius complexio alterius

rius sumtio; deinde omnesne sumtiones sint aliis syllogismis confirmatae, quae non ex se intelligi possunt, atque confirmationis indigent.

118. Sed ad demonstrationes diiudicandas inprimis prodest, eas ad syllogismorum formulas reuocare; namque ea res mirifice minuit iudicandi laborem difficultatemque, si syllogismorum leges cognitae sint. Id, quomodo fiat, vt eo magis appareat, age, exemplum subiiciamus. Sumamus autem demonstrationem theorematis Pythagorici. (Part. I. p. 93. sq.) Ductis auxiliaribus apparet contemplanti figuram:

Triangulum GCB et basin et altitudinem cum quadrato ABHG habere communem.

Sed omne triangulum huiusmodi est dimidio quadrato aequale, cuius basis et altitudo ipsi communis est,

a) Efficitur ergo, vt *triangulum GCB aequale sit dimidio quadrato ABHG.*

b) Eodem modo colligitur: *triangulum ABD esse dimidio parallelogrammo BDEF aequale.*

c) GB=BA, et CB=BD ex definitione quadrati. CBG angulus compositus est

ex recto et acuto CBA, et ABD anguli quoque partes sunt rectus et acutus CBA. Ex quo fit, vt CBG et ABD ex iisdem partibus sint; Sed qui ex iisdem partibus sunt anguli, aequales sint necesse est.

d) Itaque *anguli CBG et ABD sunt aequales.*

Ex enunciationibus c) et d) colligitur:

e) *Triangula GCB et ABD iisdem lateribus eundem angulum intercipere.*

Sed quae triangula iisdem lateribus duobus eundem angulum intercipiunt, aequalia sunt,

f) *Sunt ergo triangula GCB et ABD aequalia.*

Si hanc enunciationem f) contuleris cum superioribus a) et b) intelliges:

g) *Dimidium quadratum AHBG esse aequale dimidio parallelogrammo EFBD.*

Atqui, quorum dimidiae partes aequales sunt, ipsa quoque aequalia sint necesse est.

h) *Cogitur ergo, totum quadratum AHBG esse aequale toti parallelogrammo BDEF.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0120
DFG

119. Quae res sint fide dignae, quae probabiles, quomodo intelligatur, ex his intelligi potest, quae in superioribus de fide et probabilitate dicta sunt, neque quod iis addamus, habemus. In iis autem opinionibus diiudicandis, quas hypotheses dicunt, ita versari debemus, vt primo, sintne a repugnantia liberae nec ne, inquiramus; deinde, quid ex iis consequatur, videamus; denique cum his omnibus conferamus, quae sensibus de his rebus percipiuntur, ad quas pertinent. Iam, si per se repugnantes sunt, aut alicui eorum repugnant, quae experientia cognoscuntur, aut ex iis colligi potest, quod manifesto falsum est, reiiciendae sunt; modo ne in inferiori genere, quod falsum ex iis concluditur, auctoribus opinionum harum tribuatur, et ad eos calumniandos vexandosque adhibeatur, nisi ipsi, se hoc ipsum videre et approbare, diserte fateantur.

CAP. III.

De Methodo docendi scribendique.

120.

IAm traditis his, quae ad verum inueniendum agnoscendumque, et a falso discernendum pertinent, ostendendum etiam est, quomodo verum cum aliis communicari recte possit debeatque, atque eam rationem viamque *methodum* dicunt,

eiusque explicationem iam veteres ad Dialecticam retulerunt, quam non solum veri disceptatricem inuentricemque, sed differendi etiam artem esse voluerunt. Sed quoniam Parti Primae praemissimus methodi mathematicae breuem explicationem, poterimus hic esse breuiores.

121. Quia autem duplex veri genus est, alterum quod ad rerum naturam causasque pertinet, alterum, quod ad res in facto positas; duplex etiam docendi modus est. In veri superiori genere voce aut scriptis tradendo, primo definitiones omnium verborum, quae definiri possunt, quorumque clara notio ad demonstrationes non sufficit, afferantur (§. 5.) eaeque eo ordine collocentur, vt, quae sequuntur, ex his, quae antecedunt, intelligantur. Quo in genere tamen opus non est, vt omnes definitiones vno loco simul exhibeantur, quod per se reprehendi non potest; modo ubique definitio ante afferatur, quam de re ipsa aliquid enuncietur et demonstretur. Definitiones proxime sequantur ea, quae ex definitionibus, nullis interiectis ratiociniis, colliguntur, item quae enunciationes ex se intelliguntur, enunciata, Gr. ἀξιώματα vocant, notionesque communes, item quae sensibus percipiuntur, nam et horum demonstratio, quia in facto sunt, nulla esse potest. Haec tanquam cognoscendi demonstrandique principia sequantur, quae ex

iis

iis colligi possunt theoremata et problemata, hisque sua cuique consectaria subiiciantur. Ipsarum autem enunciationum demonstratione confirmandarum hic ordo sit, quae ad aliarum demonstrationem adhibentur, vt eas etiam loco antecedant. Denique omnes huius generis enunciationes demonstratione muniantur; quae quidem in scriptis non ita, taedii euitandi caussa, explicanda est, vt omnia ad syllogismi formulam redigantur, atque ita in mathematicorum dumeta oratio compellatur; in docendo autem id inprimis vtile est, vbi discentes nondum satis sunt intelligendis demonstrationibus, earumque virtuti percipiendae assueti, aut vbi paulo longior est difficiliorque demonstratio. Nam vt taceam, eam rem multum prodesse discentibus ad capiendas res facilius et mente, non memoria tantum, comprehendendas; praeterea ea res hoc habet boni, vt tirones intelligant, qua potuerit quaeque res via et ratione inueniri, et sensim paullatimque vero cernendo inueniendoque assuefiant. In omni autem re paullo obscuriori exempla adhibeantur, quorum magna est ad res clariores efficiendas vis, et res ipsae verbis enuncientur propriis et accommodatis, eoque sensu adhibitis, quem vsus subiecit. In quo tamen non barbarorum, aut eorum vsus sequendus est, qui linguam non satis callent, sed eorum, qui linguae periti sunt;

vt, si lingua latina adhibeatur, non scholastici, et qui horum barbariem retinent, sed veteres, Cicero, Plinius, aliique in tribuenda verbis sententia consulendi sunt.

122. Praeter eas autem, quas scribentibus quoque tulimus, leges viua voce docenti aliae quaedam seruandae sunt. Primo enim omnes definitiones ad regulas dialecticas exigere, et, bene his inter se conuenire, ostendere, cum ipsa etiam re comparare debet, vt aut eam notam rei in definitionem adhibitam esse constet, quae ei perpetuo ineſt, et qua ab omnibus aliis secernitur, aut eum existendi modum traditum, qui in re positus sit et natura. Deinde nullam definitionem reprehendat, quin simul etiam, cuius legis dialecticae auctoritate id fiat, demonstret. Porro ex ipsa definitione ducat enunciata, quae ei insunt, atque eo fere modo ad alia procedat, quo in inueniendo vero fieri solere diximus. (§. 109.) Omnes etiam enunciationes ad genera sua formasque referat, facilius vt, quales sint, ostendi intelligique possit. Demonstrationes in syllogismorum formulas coniiciat, et cum syllogismi demonstrationisque legibus comparet, ac, sintne ex iis facti et compositi, declaret. (§. 115.) Denique ex quoque quomodo ducatur et arcessatur consectarium quodque ostendat. Certa praeterea ab incertis, probabilia ab improbabilibus secernat, erro-

res

res eo, quo praecepimus, modo reprehendat et dissoluat, a praeiudicatis opinionibus discentes abstrahat, atque identidem doceat, quantis res multae circumiectae sint et occultatae tenebris, vt nulla fere tanta esse ingenii acies possit, quae eas penetrare, nullum tantum mentis lumen, quod eas dispellere et dissipare queat. Ea enim res faciet, vt in statuendo considerati, timidi, certe modesti in decernendo fiant, faciliusque et errores in rebus difficilibus ferant, neque his, quod plerique faciunt, irascantur, qui sententiis ab ipsis discrepant.

123. Rerum in facto positarum narratio historia est; cuius tanquam generis multae partes sunt. Iam in hac tradenda quid sequendum sit, videamus. Quae res factae esse traduntur, vel praesentibus nobis contigerunt, vt ipsi earum testes simus, vel aliorum sermonibus et testimoniis, item literarum monumentis ad nos perlatae sunt. Si illud est, primum, quicquid contigit, accurate et summa fide tradendum est, deinde cauendum illud, quod in omni re sensibus percepta cauendum esse diximus (§. 107.) ne nostrum de re facta iudicium pro ea re, quae acciderit, venditemus: Si hoc est, testes quales sint, videndum est, cadantne in eos haec, quae de testibus fide dignis dicta sunt, nec ne? nihilque, nisi quod certis indiciis verum esse constet, narrandum. Vtrique autem

generi communia sunt; certa ab incertis, probabilia a minus probabilibus discernere, in narrationum diuortiis, quae plus verisimilitudinis habeat, indicare, denique ordinem narrandi ordini temporis accommodare, quo, quae narramus, facta sunt. Haec autem omni historiae generi communia sunt. Veniamus ad ea, quae certis eius partibus propria sunt.

124. In historia naturali, ad quam quicquid in rerum natura accidit, pertinet, inprimis accuratae rerum descriptiones requiruntur, omnium partium diligens enumeratio, modique quo inter se cohaerent, explicatio. Quae cum omnia eo pertineant, vt distinctae rerum notiones lectorum animis informentur; vtile etiam, saepe adeo necessarium erit, rerum ipsarum imagines quocunque modo expressas adiicere, quae saepe plus fere ad notiones distinctas valent, quam omnes omnium operosissimae descriptiones. Atque haec omnia etiam in historia artium tenenda sunt. Historia autem ciuilis et ecclesiastica quoniam eam ob caussam discuntur, vt ex vtraque, quid in republica ciuili et sacra imitemur vitemusque, capiamus, qui ad alterutram scribendam accedunt, id operam dent, vt, quae fuerit reipublicae aut sacrae aut ciuilis quoque tempore conditio, accurate ostendant; qua via, quibus artibus ad magnitudinem creuerit, et felicitatem per-

peruenerit; quae impedimenta, et quomodo vicerit; quibus rebus corrupta aut perdita sit: porro a quibus gubernata fuerit; hi quo ingenio, quibus moribus fuerint, quid et quo consilio euentuque egerint; quae res fecerit, vt optimis consiliis euentus minime optatus responderit; item, quomodo imperia orta sint, et quomodo a populo ad vnum, aut ab vno ad plures populumue summa potestas traducta sit; qua occasione et quomodo, quibusque conditionibus familiae cuidam imperium tributum; praeterea quibus caussis bella orta, qua fortuna gesta, quomodo consopita, quae pacis conditiones fuerint, et quae alia huiusmodi sunt. In literarum autem scientiarumque historia, primo, cuiusque artis et scientiae origines, incrementa, corruptelaeque exponendae, a quo quaeque, si fieri potest, et quomodo inuenta sint, et excogitata, qui errores in omni scientiarum genere et quomodo inualuerint; deinde qui libri sint de quaque re, quo sermone, qua ratione, scripti, vbi typis exscripti, et quae fata ipsi habuerint; denique doctorum hominum vita enarranda, quo ingenio, quibus moribus fuerint, quomodo ad eruditionem singularem peruenerint, a quibus partibus aut Philosophiae, aut alius cuiuscunque disciplinae steterint, quid egerint scripserintque.

125. Sed priusquam hoc de docendi ſcribendique legibus caput finimus, vel tria verba de methodo ex mente Dialecticorum dicamus, ne qua res neceſſaria praetermiſſa eſſe videatur. Eius duo inprimis genera faciunt, alterum *Analyticum*, alterum *Syntheticum*, atque eandem his verbis vim ſubiiciunt, quam demonſtrationi analyticae et Syntheticae ſubiectam eſſe diximus. (proleg. §. 32.) *Syntheticam methodum* dicunt, quae a principiis, definitionibus, puta, notionibus communibus ceteris ad ea progreditur, quae ex his conſequuntur, a ſimplicibus et facillimis ad difficilia et obſcuriora; qua methodo nos in Arithmetica noſtra, Geometria ceterisque vſi ſumus; eſt enim maxime naturae conſentanea, et ad diſciplinas intelligendas maxime accommodata, neque alias leges habet, quam quae ſunt a nobis hoc ipſo capite propoſitae, nihilque differt ab ea, quam mathematicam dicunt. *Analyticam* autem *methodum* dicunt, quae a fine progreditur ad adiumenta finis conſequendi; vt cum Theologi diſciplinam ſuam incipiunt ab eo capite, quod eſt de Beatitate aeterna. Cetera methodi genera per ſe intelligi poſſunt, quia ab his non re, ſed nomine diſcrepant.

CAP.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0128
DFG

CAP. IV.
De Libris legendis, interpretandis, diiudicandis.

126.

IN omni librorum lectione haec sine dubio prima esse cura debet, vt eos intelligamus, h. e. vt ea legentes cogitemus, quae ipsi auctores scribentes cogitarunt, (§. 25.) quod quam difficile saepe sit plenumque aleae, eodem loco dictum est. Primum autem hoc videndum est, vt, quae singulis verbis, deinde, quae integris enunciationibus sententia tribuenda sit intelligamus. De vtroque ergo paucis praecipiendum est.

127. Hoc autem primum per se intelligitur, qui ad librum aliquem legendum accedit, eius sermonis non esse imperitum debere, quo liber conscriptus est, neque eius rei plane rudem, in qua explicanda tradendaque versatur. Quamuis enim sermonis non sit ignarus, non potest tamen propterea de quacunque re scripta intelligere, inprimis vbi non sunt omnium verborum definitiones traditae; quod quidem multo magis ad eos pertinet, qui librorum esse interpretes volunt.

128. In quoque verbo primum illud videndum est, sitne ei aliqua subiecta potestas nec ne (§. 36.); deinde, vbi cognoueris non esse inter-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0129
DFG

ter inanes sonos referendum, quae tandem eius vis sit, indagandum. Quod si auctor libri definitionem verbi attulit, legibus definiendi consentientem, nihil ea res difficultatis habet; sin aliunde cognitam esse voluit, aut alias ob causas praetermisit, tum demum paullo impeditior ea res fit. Si res, quae verbo significatur, eiusmodi est, cuius non potest definitio effici, quales quidem esse, supra diximus, non potest id vocabulum satis intelligi, nisi lector eandem rem sensibus usurpauit, eiusque speciem quandam animo tenet, aut ipsam rem sensibus subiicere pictam saltem, aut alia quacunque ratione expressam potest. Huc pertinent omnium eorum vocabula, quae solis sensibus siue externis, siue internis, non autem intelligentiae et rationi subiecta sunt, fructus arborum et aliarum plantarum, arbores et plantae herbaeque ipsae, flores, colores, soni, commotiones voluptatesque animi, sensus tactu in corpore concitati, et quae alia huius generis sunt. Quare cum saepe huiusmodi res in veterum libris occurrant, ingenue fatendum est, saepe non posse ea loca satis intelligi, hoc est, ita legi, vt eaedem species nobis, eaedem ideae, obuersentur, quae auctoribus scribentibus obuersatae sunt.

129. Sed si sunt ex eo genere vocabula, quod definitionibus explicari declararique potest, quoniam ipsarum rerum, quibus tributa ea verba sunt,

sunt, distinctae animo informari notiones possunt, qua definitione usurus fuisset auctor, si quis desideraſſet, quaerendum est. Et in rebus quidem vulgaribus, in narrationibus, v. c. orationibus ad populum habitis, epistolis, facile intelligitur, eo sensu quaeque verba adhiberi, quem vulgus eis tribuere consueuerat. Quare vbi constat, quae fere fuerint vulgi ideae, quae opiniones, qui ritus sacri et ciuiles, omnia expedita sunt. In his autem rebus, quae sunt aut omnino remotae a vulgi cognitione, aut inprimis tamen a doctis hominibus cognoscuntur, considerandа multa alia sunt. Nam primo opiniones philosophorum atque cuiusque sectae, religionis capita et mysteria cognita esse et perspecta debent; deinde quo populo ortus, quibus doctrinis imbutus, cui religioni addictus, cuius sectae studiosus auctor fuerit inquirendum est, nam alius populus, alia philosophorum schola alias verborum rerumque notiones sibi effinxerat, quarum nisi explorata habeas discrimina, non poteris in intelligendis interpretandisque auctoribus recte versari. Illud etiam ad detegendam verborum sententiam prodest, ipsum auctorem et alia, si qua sunt, eius scripta diligenter legere, et attendere animum, num quis forte locus sit, vbi verbi vim explicauerit; vt, si quis apud Ciceronem legerit, simplicem esse mentem nostram, et aliunde ex

eodem

eodem didicerit, aut legendo aliquando inueniat, id dici Ciceroni ſimplex, quod non eſt ex diuerſi generis, ſed vnius, partibus, facile, quae ſit eorum verborum vis, intelliget; ſin minus, non poterit eorum ſententiam recte percipere. Porro conducet loca plura, in quibus idem verbum occurrit, inter ſe contendere, praeſertim vbi de eadem fere re ſermo eſt; nam niſi argumenti aliqua in vtroque ſimilitudo eſt, non poterit ex altero loco pro ſententia alterius argumentum duci. Inprimis autem, quae antecedunt et ſequuntur, item ſi ſubiecti notio quaeritur, attributum, ſi attributi, ſubiectum diligenter conſiderandum eſt, nam et talia attributa ſunt, qualia ſubiectis conſentiunt, niſi aliunde conſtet, auctorem per errorem ſubiecto attributum adiungere ſolitum eſſe, quod ei minime conueniat, et ſemper ſubiecto etiam cum attributo bene conuenire debet, nec conſequentia repugnare antecedentibus poſſunt. Ex quibus omnibus conficitur, optimum eſſe et tutiſſimum intelligendorum interpretandorumque auctorum genus, quod ex ipſis auctoribus repetitur et arceſſitur.

130. Maximopere autem in omnium, inprimisque veterum cum lectione, tum interpretatione illud cauendum ſedulo eſt, ne, quam nos ſolemus verbis ſubiicere poteſtatem, in his libris vbique ſubiiciendam eſſe ſtatuamus. Nam

iisdem

iisdem verbis interdum plane aliam alius, alius anguſtiorem, vt ita dicam, alius ampliorem perfectioremque alio, quidam etiam nullam aut obſcuram ſaltem, alii claram vel diſtinctam ſubiiciunt. Simplex, vt hoc vtar, nos dicimus, quod eſt ab omnibus partibus liberum, atque mentem humanam, Deum, ſimplicem eſſe ſtatuimus. Veterum multi, atque in his ipſe Cicero ſimplicitatem menti tribuit. Iam ſi eum putes hoc velle, vt nihil ſit in mentibus noſtris concreti, nihil eminentiae, ex tua notione eum interpreteris, non ex eius. Nam hoc, quod nos dicimus, ne cogitari quidem poſſe, in Diſp. Acad. diſerte affirmat. Relinquitur ergo, vt eo ſenſu id verbum capiamus, quo diximus. (§. 129.) Sic veteres populi verae religionis ignari, multo obſcuriorem humilioremque vim verbo *Deus* tribuebant, quam nos, qui ſumus maiori rationis, ſummoque reuelationis lumine colluſtrati, et omnium fere Philoſophorum alius aliam. Τὰ ὄντα ſignificant plerumque, et in ſermone graeco vulgari, *quae ſunt:* ſed ſi quis apud Platonem vbique, item in S. Codice, v. c. 1. Cor. I, 28. idem ſignificare putaret, magnopere falleretur, aut ſi quis ortum rerum ἐκ μὴ ὄντων, e nihilo, apud Graecos Philoſophos eundem eſſe, ac in S. Codice, et Philoſophia ac Theologia noſtra, crederet.

131. Mutatae autem, auctae, imminutaeque significationis verborum plures multiplicesque causae fuerunt. Primo, quae res ipsae mutatae tractu temporis sunt, aut non vbique eandem formam habent, vt vestes, calcei, cetera, illud ipsum etiam efficiant necesse est, vt verba, quae ad eas significandas adhibebantur, paullo mutatam significationem habeant. Deinde nomina earum rerum, quae arte perficiuntur, non possunt eandem omnibus suis partibus notionem perpetuo subiectam habere, quia eae ipsae res sensim paullatimque mutantur, et magis magisque perficiuntur. Porro ipsi homines sensim vocabula ad alias res transferunt, cuius rei in vna latina lingua quot non exempla sunt? ita scilicet, ut non solum plures significationes habeant, sed plane nouam etiam, vetere et prima omissa et obliterata. Interdum etiam notionibus nouae quasi partes accedunt, aut opiniones turpitudinis honestatisue, quo non potest non amplior verborum potestas effici. Denique etiam saepe accidit, ut non solum falsae peruersaeque notiones rerum nominibus subiiciantur, quae deinde, rebus accuratius rectiusque cognitis et perspectis, mutantur et emendantur; sed etiam obscurae imperfectaeque notiones ingenio hominum et acumine perfectiores absolutioresque reddantur. Atque haec omnia libros intellecturo interpretaturoue tenen-

tenenda atque diligenter considerandа sunt, nisi alienam auctoribus saepe affingere sententiam velit. Ex his ipsis autem, quae de mutata verborum significatione diximus, illud etiam colligi potest, quod supra monuimus, ex verborum origine et notatione non posse semper tuto verborum vim intelligi.

132. *Emphasin* his verbis tribuunt, quae plus significant, quam eloquuntur, et quae data opera eliguntur et adhibentur, vt plus intelligatur, quam sine eis intelligi posset. Eius exempla haec sunto: tela armare veneno, pro, tela illinere veneno, conchyliatis Cn. Pompeii peristromatis in seruorum cellis lecti strati, apud Ciceronem. De hac emphasi, qua est orationis virtus et ornamentum, suo loco dicetur. Hoc loco autem duo de emphasi ad intelligendos auctores pertinentia monebimus. Primum illud est, vt eam recte capiamus, si cui verbo tributa est. Quod quidem fiet, si notiones ceterorum verborum, subiecti, verbi caussa, aut attributi examinentur, et cetera, quae ad rem pertinentia afferuntur, atque cum propria verbi significatione comparentur, cuius emphasis quaeritur. Namque ita facile intelligetur, tantumne significet, quantum vbique, an propriae alia aliqua vis accesserit; vt in hoc, quod ad Ciceronem scribit Seruius: memento te Ciceronem esse, aut quod Alexander apud Curtium ait: Ego pecuniam

quam gloriam mallem, si Parmenio essem; si nomina Ciceronis et Parmenionis eo sensu accipias, quem natura sua habent, vt scilicet nihil praeter hoc indicent, de quo sermo sit, ne commodum sensum quidem ea verba habere, nec intelligi posse videbis. Ex quo intelligitur, ampliorem in his locis Ciceronis Parmenionisque nominibus vim subiectam esse; quae qualis sit, facile reperiri potest, si, quae antecedunt, horumque verborum occasio consideratur. Alterum hoc est, ne quis in his verbis peculiarem quandam vim, emphasin quaerat, quae nullam nisi vulgarem propriamque habent; quod quidem ignoratione linguae saepissime accidit, quae facit, vt dictiones eius, Ebraicae v. c. aut Graecae latinaeue ad nostram linguam exigamus, et quia eae ad verbum translatae in nostra peculiarem aliquam vim habent, eandem quoque in peregrina locum habere putemus. Itaque neminem plures emphases invenire videas, quam qui v. c. solis Buxtorfii, Hederichii, Schreuelii aut Pasoris Lexicis instructi, ad S. Codicis interpretationem accedunt.

133. Qua quidem occasione non possumus illud monere, in intelligendis libris, qui non sunt patria lingua, sed antiqua scripti, Ebraica v. c. Graeca aut latina, summo studio cauendum esse, ne Ebraica et Graeca ad verbum, quod plerique faciunt, latine, et ne latina ad verba germa-

germanice exprimamus. Nam cum hae linguae sibi non ita respondeant, vt verbum verbo reddi possit; qui id faciunt, in latinam interpretationem Ebraismos et Graecismos inferunt, in Germanicam praeter hos etiam latinismos; quae res facit, vt interpretatio ipsa intelligi non possit ab his, qui sola interpretatione contenti esse debent. In hanc rem infinitam pene exemplorum copiam afferre possemus, nisi his non incognita ea putaremus, qui haec explicaturi sunt. Ex latinis Homeri, Hesiodi, aliorumque interpretationibus innumerabilia exempla afferre possemus. Vnum tamen ex S. Codice adiiciemus. Quis potest intelligere haec verba: oritur in nobis cognitio splendoris diuini in facie Christi. Si omnes veteres latini ab inferis redirent, nemo quisquam vel somniare, quae horum verborum sententia sit, posset. Iam redde ad verbum Germanice: **Es entstehet in uns die Erkänntniß von der Klarheit GOttes in dem Angesichte CHristi.** Qui haec a Germano vel peritissimo linguae suae intelligi posse putat, nae is linguam Germanicam ipse ignoret necesse est. Sed nonne ita reddunt illud 2. Cor. IV, 6. Opera itaque danda est, vt Ebraica, Graeca, Latinaue legentes non verbis singulis verba patriae linguae, ne cogitando quidem, qui plerorumque mos est, iungamus, sed rerum verbis subiectarum notiones: quod

cum non fieri, nisi ab his possit, qui multum in linguae rerumque ipsarum cognitione profecerunt; facile intelligitur, quam difficile sit libros veteres recte et legere et interpretari.

134. Cognita verborum singulorum vi, de nexu eorum, seu de enunciationum integrarum sententia videndum est. Qua quidem in re, quae ex arte Grammatica petenda sunt praesidia, hic praetermittimus. Nam nisi totius orationis structura verborumque compositio cuique linguae propria intelligatur, atque ex Grammatica institutione afferatur, non potest etiam enunciationum vis intelligi, praesertim cum non eam formam habeant, quae Logica dicitur. Itaque, qui ad intelligendos libros interpretandosque accedit, inprimis debet artis Grammaticae peritus esse. Sed haec nihil ad Dialecticam pertinent.

135. Relictis autem omnibus probe considerandum, quae subiiciantur, quae subiecto attribuantur, quoniam in dicendo non semper ordo modusque enunciandi Logicus seruatur, sed subiectum saepe posteriori, attributum autem priori loco ponitur. Id autem quomodo intelligatur ex his perspici potest, quae de subiecto et attributo in superioribus (§. 39.) dicta sunt. Deinde ad suum genus enunciatio referenda, et, generalisne sit an particularis, aiens negansue, absoluta an cum conditione coniuncta

iuncta

iuncta, inquirendum; quod nec ipsum his difficile erit, qui cuiusque generis notiones et signa legesque cognouerunt.

136. His factis, si absurda est aut falsa sententia, videndum est, num alio etiam loco de eadem re locutus auctor sit, aut num ea satis cum reliquis auctoris placitis consentit, nec ne? Quod si de eadem re alibi aliter dixit auctor, aequitatis est, aut negligentiae tribuere, aut incuriae, a qua nemini satis cautum est; aut eum locum, praesertim vbi paullo obscurior est, ex clarioribus explicare, aut ipsum auctorem, si quidem adhuc in viuis est, et eius percontandi copia datur, de sensu eius loci consulere, aut, si commodior etiam sententia ex verbis aliqua ratione erui potest, hanc potius ipsis tribuere; nisi vero satis constet, indoctum esse nec satis earum rerum gnarum, de quibus scribere sustinuit.

137. Erutis enunciationibus, de ordine earum et nexu dispiciendum, qui in libris plerisque non est ad formulam syllogismi factus et compositus, vt de modo concludendi, regulisne concludendi consentiens sit, fieri iudicium possit. Sed quoniam in libris saepissime mutilati et quadam sua parte truncati afferuntur syllogismi, omissa eius pars quaerenda est, nisi adiecta nota indicetur locus, vnde repeti possit.

138. Iam perceptis omnibus et perſpectis, ſi quis ex ipſo libro aliquam vtilitatem capere vult, primo omnia, eo, quo diximus cap. 2. modo, verane ſint an falſa, exigat, deinde quas definitiones nondum cognitas habet, quae enunciata, ſeu notiones communes ipſi ignotae ſunt, dein omnes ex ordine enunciationes veras ediſcat et ſibi familiares quaſi efficiat; quod niſi fecerit, non poterit feliciter in libro intelligendo, aut demonſtrationibus capiendis verſari. Deinde, quomodo ex definitionibus enunciationes ductae ſint, inquirat, inprimisque demonſtrationum vim vt percipiat operam det, quod qua ratione fieri poſſit, ex ſuperioribus (§. 111.) intelligitur. Ipſas autem demonſtrationes ediſcere opus non eſt, vbi eorum vis ita percepta eſt, vt aſſenſus retineri non poſſit.

139. In his autem libris, qui res in facto poſitas tradunt, et hiſtorici adeo argumenti ſunt, primo, verane ſint an falſa, quae commemorantur, probabilia nec ne, conſiderandum eſt; deinde quae vera eſſe et probabilia deprehenduntur, memoriae, et eo quidem, quo traduntur, ordine, ſi quidem eiusmodi eſt, qualem eſſe voluimus (§. 116.) mandanda ſunt.

140. Sed in ipſo diiudicando librorum argumento nullis aliis regulis opus eſt, quam quae ſunt C. 2. traditae. Id vnum reſtat, vt, quo ordine ſcriptus liber ſit, conſideretur. Et in eo qui-

quidem librorum genere, quod in contemplatione versatur, videndum, sit ne is rerum tradendarum ordo adhibitus, quem ab auctoribus huiusmodi librorum seruandum esse praecepimus, (§. 113.) In eo autem genere, quod historicum est, dispiciendum, num sit auctor temporis rationem ordinemque accurate secutus nec ne? Iam qui liber ab hoc vtrouis ordine recedit, hunc confusum dicemus.

141. Inter cetera *librorum vitia*, quae multa sunt ac varia, primum sine dubio est, quod est *in obscuritate* positum. Nam cum libri communes Doctores esse debeant, quomodo possunt locum hunc munusque tueri, si intelligi non possunt. Sed quoniam obscuritas ignorantiam rerum vel verborum matrem habet, interdum vtramque, nemo ad libros scribendos accedat, nisi et rerum et eius linguae, qua in scribendo vti instituit, apprime gnarus sit, atque nisi eleganter, emendate saltem, sensa et cogitata animi exprimere possit. Alterum vitium est nimiae *breuitatis*, quae quidem non ex magnitudine libri et ex mole eius, sed ex ipsis rebus metienda est. Is autem nimiae breuitatis reus imperfectusque et mutilus habendus est, in quo eiusmodi res desiderantur, sine quibus reliqua aut non intelligi, aut non perfecte absoluteque cognosci possunt. Huic vitio contrarium tertium est, quod nimia *magnitudine* peccat.

Id exiſtit vel ex inutili verborum eandem vim habentium copia, vel ex rebus a conſilio auctoris, et argumento libri alienis, quibus hi onerare libros ſolent, qui in ſcribendo non rationi ſe accommodant, ſed phantaſiam ducem ſequuntur. Huc etiam pertinent ex recentioribus, qui de rebus facillimis multa dicunt, et nunquam de re aliqua commentantur, quin totam Metaphyſicam Philoſophi compilent, ad cuius auctoritatem ſe contulerunt. Ex his autem etiam intelligi illud poteſt, bene ſapienterque veteres eloquentiam cum Philoſophia ceterisque ſcientiis coniunxiſſe, atque etiam dialecticam diſſerendi artem, ſed paullo contractiorem adſtrictioremque, dixiſſe; quem morem, vti olim Stoici, ita plerique recentiorum male reliquerunt.

CAP. V.
De Diſputatione.

142.

Diſputare eſt rationibus argumentisque in vtramque partem allatis, quid verum falſumque ſit, reperire. Vna igitur veritas eſt, quae diſputando quaeritur, cuius inuentio niſi eſt diſputantibus propoſita, vana et inanis omnis diſputatio cenſenda eſt.

143.

143. Sed vt disputatio recte procedat, illud inprimis requiritur, vt quod ait alter ac tuetur, reprehendat alter et neget. Quod vt fieri possit, qui reprehensionem suscipit, id quod alter ait, recte intelligere, et, quid rem caussamque contineat, scire debet, ne non tam de rebus quam de verbis pugnet, atque de re plane diuersa disputet; quo quidem disputationis genere nihil inutilius esse, nihil absurdius potest. (§. 30.) Quamobrem, vbi in verbis quaedam obscuritas est aut ambiguitas, neque definitiones verborum allatae sunt, relictis omnibus, qui reprehendentis personam suscepit, ab eo sensum verborum requirat, qui rem ipsam disceptandam proposuit, neque ad ipsius rei disceptationem prius accedat, quam de sententia verborum ac re caussaque inter vtrumque conuenerit.

144. Iam expedita et dissoluta ambiguitate verborum et sententiae ipsa res disceptari potest. Duobus autem modis in reprehendendo versari possumus. Nam aut sumimus id, quod verum esse credit, quem reprehendere volumus, et ex eo ostendimus cogi posse, quod aperte falsum est et repugnat, aut ipsius argumenta et demonstrandi modum conuellimus, quod ipsum duobus modis fieri in superioribus ostendimus.

145.

145. Definitiones reprehenduntur ita, vt aberratum esse ab his regulis definiendi ostendatur, quae sunt a nobis capite primo traditae, notiones communes autem, vt, quamuis explicatis verbis singulis minime apparere, monstretur, quare verae sint, neque adeo omnes, qui sensu communi gaudent, ad assentiendum cogi (Proleg. 26.) consectaria denique, vt non recte ea esse ex his collecta, ostendatur, ex quibus necessaria quadam consecutione effici putantur. (§. 79.)

146. His fere regulis eius munus continetur, qui, quod est ad disceptandum propositum, reprehendit. Iam, quid sit in reprehensionibus repellendis dissoluendisque tenendum, eodem ordine videamus. Ac primo quidem, si quis ita reprehendit, quod verum esse putat, vt ex eo, quod falsum sit, effici posse dicat, operam det, vt non recte ab eo esse conclusum, neque cohaerentia satis ab eo prolata esse doceat. Quod si praestiterit, recte, aduersarium repressisse, dicetur; sin, quod in concludendi modo carpat, non reperit, victas manus det, necesse est.

147. Si quis vero demonstrationi aliquid vitii dixerit, in eaque aut sumta esse, quae concedere largirique nemo quisquam recte possit, aut

aut ex recte sumtis perperam esse conclusum voluerit; ei ita occurretur, vt aut, sumta inter definitiones notionesue communes pertinere, ostendatur, aut ex alia disciplina assumi, in qua demonstrentur, aut argumentis confirmentur, modusque concludendi doceatur esse regulis concludendi consentaneus. Sed si aduersarius ita reprehensionem instituit, vt eius contrarium argumentis stabilire conetur, quod in disceptationem adducitur, reprehendendi munus ab aduersario in eum, qui reprehenditur, quasi deuoluitur; in quo is eodem, quo (§. 144.) dictum est, modo versari debet.

148. Cetera autem, (§. 145.) vt vindicentur a reprehensione, nihil faciendum est, nisi vt minime esse definiendi, concludendique leges migratas, quaeque pro notionibus communibus habita sunt, prorsus esse notionum communium definitioni subiecta, ostendatur.

149. Sed hae disputandi leges in his rebus tantum locum habent, quae in contemplatione positae sunt, atque ad philosophiam aut aliam scientiam pertinent, in quam demonstratio cadit: aliae res alio etiam modo disceptantur. Nam, vt ab his initium faciamus, quae in facto positae res sunt, quibusque vt fidem adiungamus, postulatur, non alio modo eae impugnari possunt,

possunt, nisi, vt aut fieri non potuisse, quia repugnantes sunt, argumentis ostendatur, aut testibus fidem abrogandam esse, quia non sint eiusmodi, quales esse debent, qui fide digni sint, (§. 83.) His autem reprehensionibus quomodo occurratur, vel ipsa res docet, (l. c.) Sed quemadmodum absurdum est, res historicas argumentis non historicis, sed ex alia doctrina, v. c. Theologia, petitis confirmare; ita ridiculum etiam est, id quod saepe fit, huiusmodi rationibus res historicas impugnare.

150. Ordo librorum, et interpretatio quomodo reprehendantur, non opus est, vt fuse doceamus, cum ex his, quae C. 4. dicta sunt, facile intelligatur. Omnis enim disputationis summum munus hoc est, quae dicuntur ad regulas exigere, et his minime, consentanea esse, ostendere, aut ab his reprehensionibus vindicare, et nihil in iis esse, quod regulis non respondeat, docere. Ex quo facile intelligitur, et reprehendentem, et reprehensiones excipientem ac refellentem, Dialecticae non minus gnarum esse debere, quam eius rei, quae in disputationem venit; omnemque disputationem esse non pueris committendam, sed viris relinquendam, qui bene sunt in disciplinarum et Dialectices cognitione versati.

151.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0146
DFG

151. Ceterum in disputatione syllogismi adhibendi sint nec ne? facile existimari potest. Si qui sunt, qui novitatis studio praeposteto atque inepto ducti, omne syllogismorum artificium, quia et antiquum est, et in scholis docetur, tanquam inutile contemnunt; in quo quantum fallantur, ex ipsa ea doctrina intelligi potest; his suo more disputare atque eam rationem adhibere liceat, quae interrogationibus utitur: iidem vero, nisi iniquissimi esse velint, ceteros etiam, qui aliter sentiunt, suo iure eodem modo frui patientur, atque in disputationibus syllogismorum formulas adhibere, quae et compendia disputationum faciunt, et hoc praeterea commodi habent, vt statim, sitne in sumtis an in annectendo et concludendo vitium, intelligi possit. Qui autem in omni disputatione Syllogismos adhibent, etiam cum res grammaticae, historicae aut aliae in disceptationem vocantur, in quas demonstratio non cadit, nae illi Syllogismo abutuntur, atque taedii plenam ac tantum non ridiculem omnem disputationem efficiunt.

152. Iam ad finem perducta disputatione, si, quae aduersarius attulit, eadem etiam obtinuit, vt non dissolui potuerint, vicisse ac *refutasse* alterum dicendus est; sin ab altero repulsus, ac repressus ita est, vt aut plane relinquere argu-

argumenta sua, aut incerta saltem esse, fateri cogatur, *impugnasse* alterum tantum censendus est.

153. Ceterum in omni disputatione omnes cauillationes, quae nihil ad verum inueniendum prosunt, omnis pertinacia, omnis ira, omnes rixae, omnia conuicia, fugienda sunt, quibus nihil turpius esse atque foedius in hoc negotio potest, quod ad verum inueniendum vnice comparatum est.

PHI-

PHILOSOPHIA MORVM.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0149
DFG

PRAEFATIO.

I.

POstquam perficiendae rationis artem tradidimus, atque praecipuas videndi veri vias aperuimus, ad nobiliſſimam Philoſophiae partem accedimus, cui cultura et emendatio voluntatis humanae, ſiue omnis potius appetitionis auerſationisque et correctio, et ad virtutem perfectionemque conformatio propoſita eſt. Quamquam enim praeclarum eſt, et ad ingenii acuminisque laudem inſigne, quae rebus omnibus communia ſint, ſcire, multumque ſuauitatis habet, quae mentis humanae vis, quae natura ſit, cognitum habere, magnas denique vtilitates affert, rerum corporearum vires et naturas, modosque veri inueſtigandi cognoſcendique tenere, cuius percipiendi cupiditate natura ducimur; omnem tamen omnium et praeſtantiam et vtilitatem longe multumque ſuperat, boni et mali, iuſti et aequi et intelligendi et faciendi ſcientia, cum cognitione Dei coniuncta; qua ſi careremus vna, relictis etiam ſuperioribus, nulla foret felicitas vera et ſtabilis, quae cadere in hominem poſſet. Itaque nunc eam philoſophiae partem, breuiter tamen, trademus.

2. Omnis autem huius de officiis doctrinae duas partes faciemus; quarum prima ipsa officia, quid honestum, quid iustum aequumque sit, quid faciendum fugiendumue tradet, atque adeo *Jus naturae*, quod dicunt, explicabit: altera autem, quam *Ethicam* dicunt, officiorum omnium exercendorum, seruandae honestatis, iustitiae aequitatisque praesidia et vias, modum rationemque exponet. Prima itaque pars in contemplatione posita erit; altera autem ad actiones ipsas tota pertinebit. Sed prioris quoque duae partes sunt, altera, quae decreta rationis et scita de bono et malo, honesto et turpi, iusto et iniusto, virtute et vitio, praemiis et poenis, ceteris, proponit; altera, quae in praeceptis et regulis posita est, quibus quid sit scilicet faciendum, quid omittendum, quid sectandum, quid fugiendum, docetur. Primam Graeci δογματικὴν, alteram παραινετικὴν appellarunt. v. Seneca Ep. XCV. qui illam contemplatiuam, hanc praeceptiuam appellat. (conf. de re ipsa Cicero de Offic. L. I. c. 3. et ibi Interpretes.)

PAR-

PARTIS PRIMAE DE IVRE NATVRAE

SECTIO I. ΔΟΓΜΑΤΙΚΗ

CAP. I.

De Iure Naturae in genere, eiusque fundamentis et cauſſis.

3.

IVris naturae notionem tradidimus, perſpicuam illam quidem, et quae, huius doctrinae quod argumentum, quae quaſi materia ſubiecta ſit, in qua verſetur, ſatis oſtendit, non tamen eiusmodi, ex qua poſſit, a quibus principiis et cauſſis omne ius naturae repetendum, ex quibus quaſi fontibus hauriendum deriuandumque ſit, intelligi. Itaque nunc accuratius, et ad ipſius appellationis non modo notationisque rationem, ſed ipſam demonſtrationem etiam, accommodatius eius vim declarabimus.

4. Iam primum, quoniam *natura* rei cuiusque nihil aliud eſt, quam ipſa eius eſſentia, et quae ex ea proprietates habilitatesque proficiſcuntur (ontol. §. 14.); hic autem de humana natura earumque rerum tantum ſermo eſt, quae

ad hominem referuntur, quibus vti, in quibus versari potest, quibus circumdatus est, et quasi septus; efficitur, vt *Ius naturae* illud sit, non quod natura quasi praeceptrix et legislator praescribat; quomodo enim cadere id in naturam, maximam partem intelligentia carentem, hominique ipsi subiectam, posset? sed quod ratio intelligit, considerata hominis, animi corporisque essentia, proprietatibus, facultatibus, habilitatibus, propensionibusque insitis, explorata rerum ceterarum ratione, quae aliquam in hominem vim habere possunt. Haec itaque hominis aliarumque natura dux est, quam in tota hac doctrina vnice sequi debemus.

5. *Ius*, quia hoc loco scientiae cuiusdam vim habet, ita et breuissime et ad intelligendum aptissime, credo, definietur, vt sit scientia legum, hoc est ea, quae, quid sit faciendum, omittendumue ostendat. *Ius* itaque *naturae* dicemus esse eam scientiam, quae ex ipsius hominis, aliarumque rerum, ad hominem aliquo modo se referentium, consideratione docet, quid sit faciendum omittendumue, nisi ipsam rationem deserere atque contemnere velis.

6. Sed quoniam omne hoc Ius ab ipsa hominis natura arcessitur, age, qualis ea sit, paucis exponamus. Primum hoc, vt omnibus brutis animantibus, ita hominibus etiam commune est, vt magnopere vita sua delectentur, ac non-

nonniſi aegre eam aut dimittant, aut eripi ſibi patiantur. Quae res facit, vt omni ſtudio ad eius conſeruationem incumbant, neque vlli labori, grauiſſimo etiam et duriſſimo, parcant, qui quidem in aliquo genere verſatur, quod ad ſuſtentandam vitam pertinere videtur. Qui autem ſua ſponte vitam ſibi abiiciendam, atque, vi adhibita, e vita decedendum ſtatuunt, aut falſis quibusdam, et aliquam veri ſpeciem habentibus ratiunculis inducti, aut obiecta aliqua gloriae inſigni ſpecie decepti, aut miſeriae ſuae cogitatione conturbati, aut de recto ſanoque mentis ſtatu deiecti ita, id quod nemini dubium eſſe poteſt, decernunt, vt minime horum hominum exemplis, id quod diximus, infirmari debilitariue poſſit.

7. Neminem porro inuenias, quin incredibili quadam et ſciendi cognoſcendique veri cupiditate, et voluptatis percipiendae deſiderio trahatur, (Pſych. §. 103.) non quidem belluinae, ſed eius, quam alio loco definiuimus (Pſychol. §. 55.) quaeque etiam recta eſſe et licita poteſt. Itaque errorem omnem, ignorantiam, ſtupiditatem auerſantur, et oderunt, ſcientiam, verum, doctrinam amant, pulchram putant et magni faciunt, omnem dolorem, et quicquid eum afferre aut ſciunt, aut timent, ſtudioſe declinant, quicquid aliquam delectationem et voluptatem, ſiue veram et ſtabilem,

ſiue inanem et breuem inconſtantemque affert, prout eſt affectus, aut rationis lumine colluſtratus animus, ſectantur et appetunt.

8. Inprimis etiam ex valetudine recta inſignem omnes voluptatem, ex aduerſa dolorem capiunt, etiamſi nec valentes adeo multis rebus aut ſuauibus abundent, aut inſtructi ſaltem ſint, quae ad vitam ſuſtinendam pertinent, nec aegroti adeo magnis doloribus excrucientur.

9. Is praeterea natura inſitus cuique amor ſui eſt, vt ſe quisque plus ceteris omnibus, neminem certe ſe magis amet, neque facile quisquam ſit, quin, etiamſi optio detur, malit, qui ſit, manere, quam in alterius cuiuscunque locum migrare, ita, vt nihil ſibi ex priſtina conditione, ne cogitatio quidem relinquatur, verbo, vt animo et corpore alius ſit.

10. Laudis etiam gloriaeque ſtudio omnes amoreque trahimur, neque quisquam fere ita abiectus animo eſt, ita famae negligens, quin, ſi omnino ſpernat etiam omnes omnium vel maleuolentiſſimos ſermones, quod quidem fieri poſſe valde dubitamus, occulto quodam gaudio afficiatur, ſi quam laudem ſibi tribui intelligit.

11. Omnes etiam, vel corruptiſſimi, aliqua re quacunque occupati, cogitationibus ſaltem, eſſe volunt, neque eiusmodi otio tempus tranſigere, quod ab omni omnino negotio vacuum ſit; ſed ſemper aliquid moliuntur, agitant, ſuſcipiunt,

piunt, agunt, triſtitiamque quandam et taedium prae ſe ferunt, vbi, quod agant, cogitent, loquantur, videant, audiant, nihil magnopere habent. Inprimis ἀυτάρκεια delectantur, mirificamque ex his rebus voluptatem capiunt, quarum auctores ſunt, quaeque ſua vi, ingenio, opera perfectae ſunt.

12. Omnibus hoc quoque innatum eſt, vt generis ſui propagandi cupiditate ducantur, et ad procreandam ſubolem ferantur animi corporisque quodam inſtinctu et impulſu, niſi morbus aut alia res eum impetum retardet et infringat, hosque maximopere ament, qui ſua opera in lucem editi ſunt, atque eorum ſalute commodisque aeque ac ſuis laetentur.

13. Cum naſcimur, ita nudi ab omnibus vitae ſeruandae praeſidiis, ita imbecilles et infirmi, ita omnibus viribus deſtituti ſumus, vt non protuliſſe nos ad vitam, ſed procreatos abieciſſe natura videatur. Quare niſi eſſent, qui noſtri curam ſuſciperent, paucae horae interceſſurae eſſent, vitam vix acceptam depoſituri eſſemus. Oratio, qua nullum eſt ad continendam ſocietatem maius et accommodatius vinculum, non connata nobis eſt; nulla ſcientia, nulla ars, qua, quae ad vitam ſuſtentandam pertinent, parantur, inſita nobis natura eſt, ſed omnia haec ab aliis imitatione et inſtitutione hauriuntur et diſcuntur. Si quis ſe ipſum conſideret,

veſtimenta, cibos, artium inſtrumenta, quibus vtitur, fateatur neceſſe eſt, innumerabilem hominum multitudinem aliquid ad eas res efficiendas contuliſſe, ſine quorum auxilio non potuiſſet has res inuenire aut comparare. Incredibilem praeterea bonorum copiam, multas voluptates ſuauitatesque aliis hominibus debemus, quibus omnibus, ſi ſoli eſſemus, careremus. Multa etiam malorum genera ſunt, quae vitare, quibus eluctari ſine alieno auxilio nunquam poſſemus. Neque tuti ab aliena vi, ab animalium brutorum iniuria et crudelitate eſſemus, niſi alii hanc nobis ſecuritatem praeſtarent. Natura denique omnes amore ſocietatis ducuntur, et nemo fere eſt, quin vitam omnino ſolitariam auerſetur et moleſtam putet.

14. Ita denique facti et nati ſumus, vt mirifice venuſtatis pulchritudinisque ſenſu moueamur, valdeque abhorreamus et deteſtemur id, quod ab ea remotum eſt (Pſych. §. 55. 60.)

15. Atque haec fere ſunt, quae natura humana fert, qua quidem ad hanc philoſophiae partem pertinet, quibusque omnis iuris naturae, atque honeſti adeo, iuſti, aequi virtutisque fundamenta et cauſſae continentur. Nam ab his omnia fere ducuntur, quae in hac doctrina dicenda ſunt. Sed priusquam ad ipſam iuſti, honeſti, reliquorumque explicationem pergamus, adhuc quaedam alia his adiicienda ſunt,

ad

ad hanc humanae naturae cognitionem pertinentia, et aliquam in hac doctrina vim habentia.

16. Si corporis animique noſtri actiones conſideramus, non vnius generis eas eſſe deprehendimus. Quaedam enim ſponte fiunt, vi corporis animique, neque voluntatis noſtrae decretum aliquod deſiderant, aut imperium expectant, vt ſenſationes, viſorum inſtauratio, ſiue diurna illa, ſiue nocturna, motus ſanguinis in orbem, concoctio ciborum in ventriculo, et quae aliae huiusmodi ſunt, quae vi corporis animique, certis quibusdam quaſi legibus directa, peraguntur, atque adeo minime voluntariae ſunt aut liberae. Quaedam autem imperio voluntatis noſtrae ſubiectae ſunt, neque fere ſuſcipiuntur, niſi approbante et volente animo, vt legere librum, ſcribere, comedere, ambulare, ſtipem erogare, loqui, et quae huius generis multae aliae ſunt. Has itaque voluntarias liberasque merito dicimus, (Pſychol. §. 92.)

17. Quae ſunt autem huius poſterioris generis actiones diuerſam in animo et corpore conditioneque externa vim habent. Quibusdam enim conſtat animi corporisque vires augeri et perfici, quibusdam autem minui, debilitari et corrumpi. Aliae voluptatem aliquam afferunt et ſuauiter ſenſus mouent; aliae autem dolore corpus adficiunt animum aegritudine opplent: aliis ea parantur, quibus vita conſeruatur,

uatur, ſuſtentatur, ornatur, ſuauis et tuta redditur; aliae autem vitae valetudinique inimicae ſunt, et perniciosae.

18. Porro his actionibus quaedam res, quaſi materia, quam tractent, et in qua verſentur, ſubiectae ſunt, quae non eandem vim omnes habent, cibus v. c. potus, cetera. Nam quaedam ea natura ſunt, vt proſint nobis, vitam valetudinemque iuuent; quaedam autem nocent nobis et perniciosae ſunt. Quaedam etiam vſu corrumpi poſſunt, et cum ſint ad ſalutem datae, ad perniciem conuerti poſſunt.

19. Iam his omnibus conſideratis probe et ponderatis, duo efficiuntur. Primum eſt, vt aliae *actiones conſentaneae* ſint *naturae humanae*, hae ſcilicet, quae aliquam habent ad ea conſequenda vim, ad quae natura ferimur, quae ſunt ad vitam valetudinemque conſeruandam, ad ſuauitatem ipſius vitae, ad laudem et gloriam conſequendam, ad ſocietatem colendam tuendamque comparatae: aliae autem *repugnantes naturae* et *inimicae*, quae rebus ad vitam neceſſariis nos priuant, quae animum corpusque corrumpunt, et vtriusque vires hebetant et obtundunt, quae ſocietatem perturbant, quae inimicitias nobis conflant, et odia concitant, moleſtosque nos aliis reddunt. In quo quidem nemo eſt, quin videat, rationem, in qua vna hominis excellentia poſita eſt, illas approbare, ſuade-

ſuadere, exigere, has reprehendere, diſſuadere et prohibere. Nam cum aliquid egimus eiusmodi, quod eſt naturae conueniens, voluptate quadam affici nos ſentimus, quae efficit, vt iſta actio nobis placeat. Cum autem actio naturae noſtrae inimica ſuſcepta eſt, minimeque congruenter naturae nos feciſſe ſentimus, poenitentia et aegritudo conſequitur, quae facit, vt noſtri nosmet adeo pudeat; ex quo interdum horribiles angores et perturbationes animi exiſtunt.

20. Alterum, quod ex ſuperioribus cogitur, illud eſt, vt aliae actiones imputari nobis, aliae non poſſint. *Imputari* enim id dicitur, quod eſt ab aliquo voluntario factum et ſuſceptum, aut cuius ita auctor dici poteſt, vt aliquod in ea re voluntatis negotium ſit. Nam quae naturali quadam neceſſitate eduntur (§. 16.) eas praeſtare, aut ex iis culpam trahere nemo poteſt; quae autem voluntatis imperio ſubiectae ſunt, earum vere auctores dici poſſumus: niſi quidem violentia accedat, quae cogat nos inuitos etiam agere, quod naturae et rationi minime conſentaneum eſt. In quo tamen magna cautio adhibenda eſt, ne coactos nos putemus, vbi nulla vis tanta eſſe poterat, quae actionem aliquam extorquere nobis potuiſſet, niſi ipſi ceſſiſſemus et timore minisue inducti, non coacti, feciſſemus, quod naturae repugnabat, (Pſychol. §. 89.) Sed facile

cile intelligitur haec de suis cuiusque actionibus dici; nam praeter eas aliorum etiam actiones nobis imputantur, nobisque tanquam auctoribus tribui possunt, si aut suasu, aut consilio, aut iussu, aut approbatione nostra aliquid contulimus, vt eae susciperentur. Ex imputatione autem *Culpa* oritur. Nam quae res imputari nullo modo potest, eius nulla apud nos culpa residet. Nunc, his constitutis, quid sequatur, videamus.

21. Ac primum quidem, cum bonum sit id, quod voluptatem nobis constantem, aut nullum certe dolorem taediumue ex se parituram affert, nam putatitio bono illo hic non utimur; malum autem, quod dolorem tristitiamue, aut perpetuam, aut nihil voluptatis ex se genituram commouet (Psychol. §. 61.) quid potest esse dubii, quin quae naturae sunt consentaneae *actiones*, eaedem *bonae*; quae eidem repugnantes, *malae* sint? (§. 19. 6. sqq.) Ex quo quidem intelligitur, quoniam voluptas et dolor ex actionibus, tanquam causis suis necessario proficiscitur, omne iudicium de actionibus, num bonae sint malaeue, ab earum effectis esse repetendum. Cum autem actiones humanae necessitate quadam naturali voluptatem aliquam aut dolorem afferant, vt naturali quodam vinculo coniunctae sint, non video, qui fieri potuisset, vt in disceptationem vocaretur, naturane

sint

ſint ſua actiones bonae malaeue (*intrinſecam moralitatem* vocant) niſi Iureconſulti tractandis legibus arbitrariis, et a voluntate Principum Magiſtratuumque vnice pendentibus adſueti, ad hanc Philoſophiae partem explicandam adiunxiſſent animum, et Iuris ciuilis lacinias, vt in multis aliis capitibus, ſic in hoc etiam naturali iuri attexere ſtuduiſſent.

22. Iam quoniam haec eſt voluntatis humanae natura, vt nihil velit et appetat, niſi quod aut vere bonum eſt, aut vere bonum animo videtur, nihil auerſetur et declinet, niſi quod vere malum aut eſt, aut videtur (Pſychol. § 85.); cogitur, eam eſſe actionum bonarum malarumque naturam, vt illae ad ſe ſuſcipiendas, hae ad ſe declinandas omittendasque, hominem eiusque voluntatem impellant et adigant, ſiue, ſi translata vocabula propriis magis placeant, obligent et obſtringant, deuinciantque; vt adeo minime ſit opus multis de obligationis vi diſputare, quae hominibus latinam linguam non prorſus ignorantibus obſcura eſſe non poteſt. Nemo enim quisquam latinorum veterum his vocabulis, in huius quidem generis negotio ad animum moresque pertinente, aliter vſus eſt, niſi hoc ſenſu: rationem aliquam cauſſamque ſubeſſe, aut aliquid contigiſſe, quod faciat, vt a nobis poſtulari aliquid exigique poſſit, vtque ipſi rationi ſit conſentaneum id facere et praeſtare.

ſtare. Cum itaque, vt ad rem redeamus, ipſa rerum natura a nobis eas actiones exigat, quae bonae ſunt, eas autem minime, quae malae ſunt, ex ipſa natura exiſtat actionum noſtrarum obligatio neceſſe eſt.

23. Haec autem obligationis origo illud etiam oſtendit, quoniam bona et mala magnitudine differunt inter ſe, atque adeo natura actio alia melior eſt alia peiorue, non eadem vi nos ad omnes actiones ſuſcipiendas fugiendasue a natura impelli et obſtringi, ſed, vt quaeque ſit melior, eo acrioribus ſtimulis nos ad eam natura concitari, et quo quaeque ſit pernicioſior, eo magis a natura nos ab ea ſuſcipienda arceri cohiberique; ex quo, vt obligationis varietas, ita officiorum omnis differentia deriuatur.

24. Sed quia ratio vna eſt, quae, quid ex quoque ſequatur, intelligit, quae cauſſas rerum videt, et praeſentibus annectit futura (Pſychol. §. 50.); eadem etiam ratio facit, vt obligatio eiusmodi cadere in nos poſſit. Quomodo enim, ea ſi careremus, quam quaeque actio vim habitura eſſet, intelligere, quomodo, quid ipſius animi corporisque noſtri natura poſtulet, cognoſcere poſſemus? Ex quo ſequitur, rationem quoque nos ad bonas actiones ſuſcipiendas, malas omittendas obligare. Vt, ſi in poculum incidas, quod ſcias praeſentiſſimi veneni plenum eſſe, exemplis autem edoctus, aut ab aliis fide

fide dignis, aut alia quacunque ratione didiceris, veneni hanc eſſe in corpore humano vim, vt certiſſimam ei mortem afferat; ſentias praeterea id, quod eſt omnibus hominibus commune (§. 6.) te vitae ſummo amore duci, rationem id a te exigere plane intelliges, non eſſe iſtam potionem ſumendam, ſed auerſandam declinandamque.

25. Ex his non eſt difficile, omnium actionum regulam quandam et legem colligere, quae quidem voluntariae ſunt et liberae, eaque ipſa *naturae lex* cenſenda erit. Atque cum omnis lex ſit formula, qua exprimitur modus, quem aliqua res in agendo, aut ſuapte natura ſequitur, aut ſequi debet, (Pſychol. §. 15.) haec naturae lex nihil erit, niſi generalis quaedam formula, quae modum declaret, quem in ſuſcipiendis omittendisque liberis actionibus ſequi debemus, cuique omnes actiones voluntariae accommodandae ſunt. Ea autem haec eſt: *Suſcipiendae ſunt actiones hae, quae verum bonum afferunt, omittendae autem et fugiendae, quae verum malum gignunt.* (§. 19. 21. 22.)

26. Tria autem bonorum malorumque genera faciunt, quorum aut ſtudium aut fuga hac naturae lege praecipitur; primum eorum, quae ad nobiliorem hominis partem, animum, pertinent, vt ſapientia, doctrina, ars, virtus, ignorantia, ſtultitia, error, vitium, cetera: alterum

horum, quae corpori propria sunt, vt puta, valetudo recta et aduersa, pulchritudo et deformitas, cetera; tertium vero eorum, quae in conditione externa insunt, atque extrinsecus afferuntur, verbi caussa honor, gloria, diuitiae, cetera.

27. Iam si quis attendere animum velit, facile intelliget, horum omnium hanc vim esse, bonorum, vt perfectos nos aut conditionem nostram efficiant; malorum, vt imperfectos nos et statum nostrum reddant. Nam si omnis voluptas constans et durabilis ex perfectione, omnis autem aegritudo ex imperfectione oritur (Psych. §. 55.) quod autem voluptatem eiusmodi affert, idem etiam bonum, quod taedium, malum dicitur (l. c. §. 61.) atque adeo omne bonum sit in perfectione, omne malum in imperfectione positum (l. c. §. 62. coll. ontol. §. 41.); quis non videt animi, corporis et conditionis bonis suam cuiusque perfectionem, malis autem imperfectionem contineri. Ex quo intelligitur, legem naturae hac etiam formula exprimi posse: *Ea sectanda et facienda sunt, quae nos conditionemque nostram perfectiorem; fugienda et omittenda, quae nos conditionemque nostram imperfectam reddunt.*

28. Haec lex naturae quoniam ex actionum tanquam caussarum effectis pendet, et caussam necessitate quadam, non absoluta quidem, sed

natu

naturali tamen, effectus sequitur, (ontol. §. 28. 97.); efficitur, vt lex ea etiam necessaria sit (ontol. §. 24.) nulli mutationi obnoxia, quamdiu quidem eadem hominis, actionum rerumque natura est, hoc est, quamdiu homo est homo, (l. c. §. 25.) denique aeterna (l. c. §. 14). Deinde cum omnes liberae actiones ei subiectae sint, minime imperfecta ea lex est, nihilque usquam fieri potest aut agi, quin, rectene agatur, an secus, ex ea lege intelligi possit. Et quoniam *officium* omne id est, quod legi consentaneum est; omne officium ab hac lege arcessendum est, neque ulla vitae humanae pars, quia nulla fere sine actione aliqua traducitur, vacare officio potest..

29. Ex eadem omne etiam *honestum* ducitur. Quid enim honestum esse potest, nisi quod honorem nobis affert et laudem? *Honor* autem, cum sit omnis positus in iudicio hominum de recte factis, quid potest honorem nobis afferre, nisi quod recte factum est? Recte autem factum quid potest dici, praeter id, quod est et naturae et rationi consentaneum, eiusque placitis conueniens? Quare, cum lex naturae eadem sit rationis, nihil potest *honestum* dici, nisi quod legi naturae consentit; *turpe* autem, quod ei repugnat. Ex quo sequitur,

omnes actiones bonas esse etiam honestas, omnes malas etiam turpes. (§. 21.)

30. Per se autem intelligitur, maxima praemia esse proposita his, qui hanc naturae legem obseruant, grauissimas autem poenas eis, qui eam migrant. Nam cum *praemium* sit bonum, quod est cum actione aliqua, quacunque ratione coniunctum; *poena* autem malum, quod actionem quocunque modo sequitur, modo propter actionem sequatur: quae lex potest certiora praemia promittere, quae certiores poenas minari, quam haec naturae lex? Cum enim leges hae, quae arbitrio consilioque humano feruntur, non possint etiam praemia et poenas, nisi arbitrarias, minimeque natura cum actionibus coniunctas statuere: facile intelligitur, praemiis saepissime his priuare nos inuidiam hominum maleuolorum posse, poenas autem effugi fraudibus, versutia atque cautione in exercendis sceleribus adhibita posse. Quomodo enim supplicia de his sumere queas, qui aut clanculum peccant, aut se poenis fuga eripiunt? Quod quidem in lege naturae longe secus est: quam qui laedit, non potest poenam, quae naturali necessitate sequitur, effugere; neque praemio priuari quisquam, qui ei obedit. Qui autem bona et mala ea, quae naturaliter actiones sequuntur, praemia et poenas esse negant; nae illi de verbis pugnant, et praemiorum

rum poenarumque humanarum notione conturbati in verborum controuerſiam incidunt. Si enim, quod arbitrio conſilioque, et conſtitutione hominum actionem ſequitur bonum malumue, praemium aut poena eſt; quo, quaeſo, iure praemii poenaeue nomen abrogari malis bonisque his poteſt, quae neceſſario et naturae conſtitutione actiones ſequuntur?

31. Quod ſi autem omnibus actionibus praemia poenaeue ſtatutae ſunt, quae legi naturae aut conſentiunt, aut repugnant; non poteſt eſſe obſcurum, qui omnes actiones ſuas legi naturae accommodat, felicem et beatum; qui autem ei minime obtemperat, infelicem et miſerum fieri. Quid eſt enim *beatitas* niſi conſtans et perpetuum, nullaque aegritudine, dolore aut triſtitia interruptum gaudium; ſiue, vt Cicero definit, ſecretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio? et quem *miſerum infelicemque* iure dicemus, niſi qui multis, aut perpetuis doloribus conſtantique aegritudine angitur et excruciatur? Atqui nulla eſt actio legi naturae repugnans, quin eam malum, h. e. aegritudo et triſtitia ſequatur; nulla ei conſentiens, quin comitem habeat voluptatem aliquam et gaudium. (§. 21.) Relinquitur ergo, vt legis naturalis obſeruatio felices, migratio autem infelices miſerosque homines reddat, atque ea ipſa hac etiam formula comprehendi poſſit: *Facienda*

sunt ea, quae aliquid ad felicitatem prosunt; omittenda, quae infelices nos reddunt.

32. Quamobrem, cum omnes homines natura sint felicitatis appetentissimi, incredibilique eius desiderio trahantur, vt nemo quisquam sit, quin, interrogatus, beatusne esse an miser malit, statim, nisi stultissimus insanissimusque sit, fateatur, se felicitatis cupiditate flagrare, miseriam toto animo abhorrere (Psychol. 103.) efficitur, vt, quam constituimus, lex naturae sit homini maxime conueniens, eiusque voluntati accommodatissima; vt, qui ad eius praescriptum accommodare actiones recusat, sibi ipse inimicus esse merito censeatur. Sed qui eam migrant, non certe ea ratione adducti migrant, vt legi minime obtemperantes sint, et infelices fiant, id quod fieri non potest; sed insigni quadam, falsa tamen, boni specie, sensibus aut phantasiae obiecta conturbati, quae eos non patitur neque de officio cogitare, neque, si qua huius generis cogitatio in mentem veniat, ei inhaerere paullulum, et rationis vocem audire, sed praecipites in omne flagitium dat (Psychol. §. 80.).

33. Sed quoniam non omnes actiones eandem habent ad felicitatem, aut afferendam, aut augendam conseruandamque vim, atque aliae aliis plus ad miserum hominem infelicemque reddendum valent; facile intelligitur, legem natu-

naturae et rationem nos ad eas actiones ſuſcipiendas, aut omittendas vehementius obligare, quae plus ceteris aut boni aut mali afferunt, adeoque ſunt aut ad felicitatem aut miſeriam efficaciores, (§. 22. 23.)

34. Si quis porro ea bona, a quibus felicitas omnis proficiſcitur, aut ea mala, quibus miſeriae origines continentur, componere velit, valde obtuſo ſit ingenio neceſſe eſt, niſi videat, id, quod nemini obſcurum eſſe poteſt, ea bona, quibus perfectio animi, nobilioris noſtri partis, atque ipſius corporis fortunarumque ruinis ſuperſtitis futuri, ineſt, longe his multumque praeferenda eſſe, a quibus perfectio corporis, aut conditionis noſtrae deriuatur; et ea, quae corpus iuuant, ſuſtinent, perficiunt, his eſſe potiora, quae ad conditionem noſtram et fortunam ornandam perficiendamque aliquid adiumenti afferunt: item, quae animum afficiunt, mala grauiora, diuturniora ac pernicioſiora adeo eſſe his, ex quibus corpus aliquid vitii cepit aut detrimenti, his autem minora et tolerabiliora, quae conditionem noſtram deteriotem reddunt. Quare cum natura in id plus feramur, quod eſt altero melius, illudque auerſemur grauius, quod plus in ſe habet mali (Pſychol. §. 85.); cogitur, ad ea facienda vehementius nos eſſe natura deuinctos, quae ad animi, quam quae ad corporis perfectionem

valent, et plus ad haec, quam ad ea, quae conditioni externae prosunt: item, magis nos a natura ad mala animi, quam corporis declinanda, plus ad vitanda corporis, quam conditionis externae mala impelli et adigi. (§. 23.)

35. Ad felicitatem nostram, quae quidem in hanc mortalitatem nostram cadit, multum adiumenti societas affert, cuius etiam studio et amore natura ducimur. (§. 13.) Nam absque ea si esset, quot res nesciremus, quot erroribus premeremur, quae artes incognitae et aeternis tenebris sepultae mansissent, quot commoditatibus corporis et fortunae careremus, quot periculis obnoxii, quam breuis vita et molestiae calamitatumque plena et referta esset; vt nulla alia res plura nobis et animi et corporis et fortunae bona afferre putanda sit, quam haec ipsa societas. Quae quidem, si quis cum his contenderit, quae de lege naturae diximus; poteritne tam hebes, tam nihil videns, tam nihil omnino intelligens esse, quin, publica societatis salute et vtilitate suam cuiusque contineri perspiciat, maleque et contra naturam facere, qui res duas natura copulatas, suum communeque commodum, seiungere audeat et diuellere. Maneat igitur illud, quod omnes philosophi praecipiunt, natura nos ad colendam societatem obstrictos esse, *nihilque faciendum esse, quod noceat societati, aut cuiquam societatis membro, sed*

ſed, vt quod expedit ſocietati et prodeſt in publicum, ſedulo faciamus.

36. Sed haec lex naturae non eſt, quod his videtur, qui ius naturae ad ciuilis iuris formam effingunt, non eſt, inquam, ſumma, ſub qua, tanquam genere et capite ſummo, quicquid vsquam naturalium legum eſt, comprehendatur; ſed ſuperiori illi potius noſtro (§. 25. 27. 31.) tanquam capiti ſubiecta eſt, ex quo omne robur, omnem vim ſtabilitatemque accipit. (§. 35.) Itaque ille ipſe, qui primus fere ius ciuile ad corrumpendam iuris naturae ſcientiam adhibuit, et hanc de ſocietate colenda legem primam omnium et ſummam putauit, his argumentis eam confirmauit, quae manifeſto indicant, ſine ſuperiori illa lege noſtra hanc conſiſtere non poſſe. vid. Puffendorf. de Off. Hom. et Ciu. L. I. c. 3. §. 2. - 7.

37. Ab hac autem lege omnis *iuſtitia* arceſſitur; quae tota verſatur in ſocietate tuenda et colenda, tribuendoque ſuum cuique; nemini nocet, omnibus, quantum poteſt, prodeſt. Huic contraria et aduerſa eſt illa omnis ſocietatis vaſtatrix, *iniuſtitia*, quae neque tribuit aliis, quod ipſorum eſt, neque ipſis damnum inferre veretur; qua quidem nihil naturae et rationi inimicius eſſe, nihil repugnantius poteſt.

38. Iuſtitiae autem plura genera faciunt. Nam primo eam vel *generalem* eſſe, vel *peculia-*

rem dicunt. Illam esse aiunt, quae ad omnia officia pertineat erga alios, et cui omnes actiones subiectae sint, quibus conferre aliquid ad publicam aliorumque vtilitatem possimus, etsi nemo adhibita potestate civili eas a nobis exigere, aut adhibito poenarum metu extorquere possit; cuius generis sunt liberalitas, gratus animus, succurrere laboranti calamitate aliqua, cetera: hanc autem dicunt, quae ea tantum exigat, quae si quis facere nolit, vi ciuili adigi possit; vt seruare pacta, reddere debita, cetera. Atque ea quidem, quae huic generi subiecta sunt, *iuris pleni perfectique* dicunt, in iisque *perfectam obligationem* esse statuunt; quae illi autem subsint, *iuris imperfecti*, et *obligationis imperfectae esse*. Quae quidem, si in iure ciuili dicerentur, recta vtique essent, minimeque reprehendenda; nunc, cum in iure naturae dicantur, in qua, non, quid vi externa magistratuum extorqueri soleat nec ne, sed quid ratio desideret, quid societati quocunque modo prosit, quaeritur; haec iustitiae distributio nihil huc pertinet, quam qui in ius naturae inferciunt, ignoratis iuris ciuilis et naturalis limitibus, artem iuris naturae conturbant.

39. Deinde iustitiam distribuunt in eam, quam *distributiuam*, et in alteram, quam *permutatiuam* dicunt. Illam aiunt esse, quae ex constitutione ipsius societatis maioris, quam rempubli-

publicam dicunt, ducatur, quaque communia bona ſocietatis quadam proportione membris ſocietatis diſtribuantur: hanc autem omnem a pactis inter priuatos conſtitutis repetunt, qua, quod promiſit quisque, alteri praeſtet. Quae ipſa diſtributio iuſtitiae eſt illa quidem per ſe non abſurda, ſed vitio tamen hoc laborat, quod his duabus formis non omne id ſubeſt cui iuſtitia ineſt. Nonne enim, vt hoc vtar, quod poſtea docebitur, iuſtitiae eſt, ſi quis alteri damnum intulit, cum quo nihil peculiaris ſocietatis cuiusdam et commercii habet, vt quod damnum intulit commodo aliquo compenſet? ſed, ad quam formam hoc referri poſſit, haud intelligo.

40. Cum iuſtitia, atque adeo ipſa honeſtate quodammodo coniunctum eſt *Decorum*. Nam quoniam omne id, quod legi naturae repugnat, atque ipſa adeo iniuſtitia, turpitudinem habet; quomodo decere poteſt id, quod non eſt cum honeſtate aut iuſtitia coniunctum. Sed, vt omne honeſtum et iuſtum ſit idem etiam decorum; non poteſt tamen ita haec conuerti ratio, vt omne quod decorum dicitur, idem etiam honeſtum et iuſtum eiusmodi ſit, quale eſt id, quod a nobis definitum eſt. Ceterum omnem vim ex ſocietatis lege, adeoque iuſtitia trahit, etſi paullo minorem iuſtitia vim habeat. Sed latiſſime hoc, quod decorum dicitur, fuſum eſt.

Nam

Nam ineſt in quadam venuſtate et pulchritudine omnium ſermonum iam per ſe honeſtorum, actionumque corporis naturalium, in inceſſu, adſatu, aſſeſſione, motu, in edendo bibendoque, ceteris, ex qua venuſtate quaedam ſuauitas et iucunditas oritur, qua, qui vna ſunt, adficiuntur; vt nulla aliis in re moleſti aut graues, ſed iucundi omnibus ſimus. Quare ſi quid aut dictum aut factum eiusmodi ſit, vt aliquam moleſtiam, aliquod taedium audientibus videntibusque afferat, id recte *indecorum* dicemus.

41. Sed decori et indecori duo fontes ſunt; alter eſt in ipſa rerum natura; alter autem in opinione hominum. Nam quaedam, cum per ſe turpia non ſint, tamen quendam horrorem taediumque praeſentibus afferunt; vt carnes coctas manibus prehendere, et nullo cultro aut alio inſtrumento adhibito dentibus diſcerpere, et deinde deglutire, aut excerni ita, vt alii videant excrementa, merito vt decorum habeatur, aut ſeorſim excerni, aut in narium excretione orarium adhibere, in edendo fuſcina et cultro vti, cetera: quaedam autem nihil, ſi fiant, venuſtatis ſingularis, neque, ſi omittantur, deformitatis habent, decora tamen aut indecora habentur, quaedam etiam apud hos cum decora putentur, apud alios indecora eſſe creduntur.

42. Illud

42. Illud autem facile intelligitur omne decorum esse ad placendum aliis comparatum. Nam quod solis sine deformitate aliqua facere licet, id praesentibus aliis deforme esse potest. Quoniam autem natura nos sociabiles fecit, et omni studio colenda societas est, decori quoque studium natura nobis commendat, etsi nullum magnopere commodum adferat, nisi quae ad conditionem externam pertineant.

43. Iam, qui naturae vocem audiunt, eiusque legis seruandae studiosi sunt, *virtuti studere*; qui autem eam plane seruant, *virtute praediti* recte dicuntur. Est enim *virtus* habitus quidam animi ea et appetendi et auersandi, faciendi omittendique, quae lex naturae appetere et auersari, facere et omittere iubet; *vitium* autem habitus ea appetendi et faciendi, quae legi naturae repugnant. Quare, cum, quod legi naturae consentaneum est, idem honestum; quod ei autem repugnat, idem turpe sit (§. 29.); efficitur, vt eadem vtilitatis sit, quae honestatis, regula: omnis honestas virtute contineatur, omnisque turpitudo a vitio proficiscatur. Neque quicquam vere vtile aut noxium dici haberique potest, praeterquam quod virtus vitiumque affert. Nam cum vera vtilitas ea demum sit, quae nos nostramque conditionem vere perficit, idque vnum vere noxium, quod nos conditionemque nostram imperfectam reddit,

dit; quid poteſt vere vtile aut pernicioſum eſſe, niſi quod virtuti aut vitio debetur. (§. 31.) Quae autem corporis aut fortunae aliquod commodum afferunt ita, vt commodis animi noceatur, ea putatitiam quandam vtilitatem habent; quemadmodum falſum detrimentum omne illud eſt, ex quo animus aliquid vtilitatis ſtabilis et perpetuae capit; quibus quidem commodis et damnis, quia hoc nomine indigna ſunt, hoc loco minime vtimur.

44. Porro, quia vnius legis naturae haec vis eſt, vt felicem hominem ſeruata reddat, miſerum autem, ſi migretur; ad veram felicitatem vnicam ſemitam per virtutem patere ſequitur, viamque certiſſimam ad miſeriam eſſe vitium. Ex quo quidem, quanta virtutis ſit praeſtantia, quanta pulchritudo, quae contra vitii deformitas, facile intelligitur; vt vere Plato iudicauerit, incredibiles ſui amores concitaturam virtutem eſſe, ſi oculis cerni poſſet: quemadmodum nihil foedius, nihil deteſtabilius viſurum omnibus vitio eſſet, ſi ea eſſet natura, vt cadere in oculos poſſet.

45. Quaecunque autem ſingularis actio ſuſcipitur eiusmodi, quae legi naturae repugnet, eam *peccatum*, aut, inprimis ſi paullo maiorem inſignioremque turpitudinem habet, *flagitium ſceluſque* dicimus. Duobus autem modis ius naturae laeditur, nempe aut voluntarie et data opera,

opera, vt ſi quis furatur, occidit hominem; aut ſine omni malefaciendi propoſito et voluntate. Sed huius quoque duo modi ſunt. Primus eſt, cum imbecillitate quadam naturali impedimur, quo minus legis naturalis praeceptum aliquod exſequamur, aut peccatum pene inuiti admittimus. Atque imbecillitate quadam nos in recte faciendo laborare, id quidem ita quotidie in ſe quisque ſentit, vt qui negare velit, nae is in rebus apertiſſimis hebes, et in ſole medio coecus videatur. Inprimis conſuetudinis et habitus, inprimis diuturnioris, haec vis eſt, vt vel inuitis, minime certe volentibus, imponant, atque nos ad peccandum rapiant. (Pſychol. §. 80.) Alter modus ab ignorantia aut errore proficiſcitur, cum nempe, quod facimus, non intelligimus eſſe legi naturae aduerſum, aut malefacta pro recte beneque factis, id quod non raro accidit, habemus, atque adeo errore, nihil malitiae habente, auferimur.

46. De hoc vero poſteriori peccandi modo vt recte ſtatui poſſit, qui haec docent, ignorantiae errorisque diuerſa genera, naturam et vim tradere et explicare ſolent, inprimisque de iudicio actionum, a quo omnis et obſeruatio legis naturae et migratio arceſſenda eſt. Nam qui poſſis non, quae turpia, iniuſta et pernicioſa putas, abhorrere, et quae recta et vtilia iudicas, in ea toto animo ferri, quamuis in vtroque genere

genere fallare? (Psychol. 103.) Sed hoc actionum, honesti et turpis, iusti et iniusti iudicium, et quasi disceptatio non eodem ab omnibus loco ac tempore suscipitur. Interdum enim ante ipsam actionem fit, atque ei deinde accommodatur actio; saepe autem supina negligentia quadam impediti aut consuetudinis vitio (Psychol. §. 101.) aut commotionum vi abrepti actionem properamus, vt nullus relinquatur iudicio locus, sed aut omne omittatur, aut post actionem demum peractam suscipiatur. Cum autem prius de actionis natura et honestate aut turpitutidine iudicamus, quam eam suscipere decernimus, facile intelligitur, posse accidere, vt ignorantia inducti, aut inani specie quadam honesti turpisue, iusti aut iniusti, vtilitatis aut damni decepti, aut alia quacunque ratione inducti, multiplex enim est et varia errandi via, in graues de recto et prauo errores incidamus, atque male adeo iudicemus.

47. Porro, quod in dialecticis traditum est, omne iudicium aut certum esse, aut opinabile, atque hoc ipsum duas formas subiectas habere, alteram probabilem et similem vero, alteram minime probabilem, (Dial. §. 86.) id huc etiam trahi omne potest. Nam quaedam actiones ita sunt ab honesto et turpi signatae, tam illustres et insignes iusti iniustiue notas habent, vt facillime agnosci et ad genus suum referri possint, vt

vt benefacere, temperantiae ſtudere, debitum reddere, furari, ſcortari, luxurioſe viuere, in quibus nemo fere fallitur, et in his certa iudicandi ratio valet. Cuius quidem rei cauſſa haec eſt, quod quae ex vtroque genere conſequuntur, eiusmodi ſunt, vt, quam habeant ad felicitatem miſeriamque humanam vim, quantum ad ſocietatem aut conſeruandam et iuuandam valeant, aut corrumpendam euertendamque, facillime cernitur. Sed quaedam actiones paullo obſcurius et obtuſius ſunt ab honeſto et turpi, iuſto et iniuſto inſignitae, in quibus, inprimis, ſi rebus huiusmodi iudicandis non ſis adſuetus ſatis, non poſſis ita certus fieri ac in ſuperioribus illis. Atque etiamſi in hoc genere non poſſis ea fiducia, qua in ſuperiori, verſari; tamen etiam probabilitatem in rebus huiusmodi ſequendam recte ſtatuunt Philoſophi. Qui enim nihil agere vellet, niſi quod certo ſciret eſſe legi naturae conſentaneum, is parum ageret neceſſe eſſet; cum maxima vitae humanae pars probabilitati ſubiecta ſit. Denique eſt etiam quoddam agendi genus, in quo nullam magnopere honeſtatis ſpeciem videas, quodque parum aut nihil probabilitatis habet, neque tamen poſſis eius turpitudinem aut iniuſtitiam certa quadam aut probabili ratione oſtendere, aut de quo certe in vtramque partem cum probabilitate aliqua diſputari pot-

est: quae res facit, vt non possis sine insigni errandi periculo et timore in alterutram partem aliquid statuere.

48. Hic vero magna est inter Philosophos contentio, quam habeat iudicium actionis erroneum et falsum ad obligationem actionis vim. Nam, cum ratio iubeat, honestum et iustum sequi, turpe et iniustum auersari; effici, aiunt, vt, qui, quod falso putet, honestum et iustum esse, omittat, aut, quod falso iudicet, turpe et iniustum esse, faciat, rationem laedat, eique minime obtemperet, adeoque, quia, quantum in ipso sit, legem naturae migret, aeque peccet, ac si in iudicando minime errasset. Neque tamen eam ob causam factum ipsum rectum esse, dicunt, sed quia per se legi adversetur, culpam inducere, et poena dignum esse. Quod quidem vtrumque, quomodo reprehendi possit, minime videmus. Neque tamen omnem illam disputationem, actionisne obligatio iudicio falso pariatur? ad vitam multum prodesse putamus. In quamcunque enim partem statuatur, quid afferre poterit, ad impediendos hos aut impellendos, qui errore huiusmodi ducuntur; cum in quo errant, nesciant se errare, adeoque non possint ullo philosophiae in hoc genere decreto moueri.

49. Sed

49. Sed quoniam omnis erroris cauſſa et genitrix ignorantia eſt, haec etiam quam habeat ad culpam vim, paucis videamus. Duo autem eius genera faciunt, alterum, quod vinci poſſit et euitari, vnique adeo ignauiae aut negligentiae tribuendum ſit, turpe illud quidem minimeque excuſandum: alterum autem huiusmodi, vt nulla ratione caueri queat, atque eam ob cauſſam, ſi non innocens minimeque puniendum, leuius tamen priori et aliqua ſaltem excuſatione dignum. Duae autem res hoc loco diſceptantur, prima, poſſitne ignorantia huius poſterioris generis eſſe, nam id ipſum ambigitur: altera, culpane ea vacua ſit, nec ne? In quo quidem vtroque decidendo quid difficultatis, in hac quidem philoſophiae parte, ſit, non intelligo. Quis enim primo non videt, in genere morum nihil ignorari ita poſſe, vt repugnet, idem, quod ignoratur, ab eodem etiam ſciri, qui ignorat; nam quod quidam ſcire poſſunt, nulla ratio eſt, quare non omnes ſcire poſſint (ontol. §. 6.): ſin eam ignorantiam vinci non poſſe vis, quae cum adiunctione quadam et conditione neceſſaria eſt (ontol. §. 28.) quaeque propter ipſas conditiones illas v. c. inſtitutionem, educationem, ceteras fieri non poteſt, vt tollatur, quae ignorantia tandem erit, quin vinci euitarique nequeat? Nam cum,

quicquid fiat, naturali neceſſitate fiat, neque poſſit, his, quae ſunt, conditionibus, aliter fieri, etiam omnis ignorantia huiusmodi erit. Itaque, quas gentes Sextus Empiricus (*) memorat, rectum putare, humana ſacrificia facere, parentes poſt ſexageſimum annum occidere, latrocinari, cogeretur, ignorantia duci, quae vinci depellique nequeat; quod quale ſit, nemo non intelligit. Maneat igitur hoc, quod nulla idonea ratione conuelli poteſt, huius generis ignorantiam in moribus nullam eſſe. Quo conſtituto, alterum illud per ſe ſoluitur. Sed finge, fieri poſſe, vt eiusmodi ignorantia erroreque peccetur, a quo caueri nullo modo poterat; ne tum quidem efficietur, vt ea actio a poena libera ſit. Quid enim? num actiones lege naturae prohibitae nocent, et malum afferunt, quia, qui eas ſuſcipit, noxias eſſe et pernicioſas ſcit, an quia per ſe et natura vim peſtiferam habent? aut num quae e tecto delabitur tegula in praetereuntis brachium minus id contundit non viſa, cum decideret, quam ſi viſa eſſet? aut num cibus mihi noxius minus nocet, ſi nullo modo ſcire poſſum, noxium eum futurum eſſe, quam ſi, cum certo ſciam, nociturum eſſe, a me ſumeretur? Neque tamen illud inficiari quisquam poteſt, excuſatius peccare, qui ex ignorantia difficillime cauenda,

(*) Pyrrhon. hypotypoſ. L. III. c. 24.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0184
DFG

uenda, quam qui voluntario, aut ex negligentia et conſuetudine mala peccant.

50. Atque haec de eo iudicio actionum, quod ante ipſas actiones fertur. Cum autem iudicium poſt ſuſceptam actionem fit, eam vel honeſtam et iuſtam, vel turpem et iniuſtam eſſe iudicamus, ex quo *conſcientia recte maleque factorum* exiſtit. Et culpae quidem conſcientia poenitentiam et morſus animi efficit, quibus miſerrimi ſaepe homines fiunt; recti autem gaudium, cuius magna eſt ad felicitatem vis. (Pſychol. §. 69. 64.) Saepe autem accidit negligentia hominum, vt diu non cogitent de hoc actionum ſuarum iudicio inſtituendo, ſed ſecuri omnibus vitiis volutentur, donec tandem, ſero plerumque, ad ſe redeant, et e diuturno veluti ſomno euigilent, atque quid egerint, cogitent, quibus hominibus deinde nihil eſt miſerius.

51. Vnum ſupereſt, de quo in hac contemplatiua Iuris naturae parte, vel tria verba dicenda ſunt, nempe de quaeſtione ea, qua in ſcholis Philoſophorum veterum nihil celebrius fuit, nihil maiori animorum motu diſceptatum, qui ſit *bonorum malorumque finis*, in quo *ſummum bonum* et *malum* poſitum ſit. Septem autem a Cicerone de finibus II. 11. ſententiae

ponuntur. Et tres quidem fines honestatis expertes, vnus Aristippi vel Epicuri, *in voluptate* positus: alter Hieronymi, *in indolentia* et vacuitate doloris: tertius Carneadis *in vsu principiorum naturalium:* tres in quibus honestas cum aliqua accessione, Polemonis *in tribus generibus bonorum, maximis animi, secundis corporis, externis tertiis:* Calliphontis *in honestate, quae voluptatem adiunctam habeat:* Diodori *in honestate cum indolentia:* vnus simplex, cuius Zeno auctor, positus in decore totus, id est, *honestate.* Nam reliquorum sententiae iam Ciceronis tempore diu abiectae euanuerant. Quas quidem sententias, si inter se contenderis, et, quid quisque ad opinionem suam stabiliendam defendendamque attulerit, consideraueris, intelliges profecto, in his de finibus bonorum et malorum controuersiis de vocabulis magis quam de rebus ipsis concertari.

52. Nam si, qui sit bonorum finis? hoc sensu quaeritur, vt, quae tandem res natura sua vnice valeat ad semper feliciter beateque viuendum, et ad quam referantur omnia, quae habent aliquam in eo genere vim, intelligatur, nemo potest cum aliqua veritatis specie negare, vni virtuti et honestati eam propriam vim esse, neque vllam aliam rem sibi ex hac laude decerpere aut vindicare quicquam posse, (§. 43. 44.)

Atque

Atque hanc quaeſtioni illi ſententiam videntur tribuiſſe hi, qui vnam honeſtatem aut virtutem in ſummi boni ſede collocatam volebant. Sed qui hunc locum negabant eſſe virtuti tribuendum, non hi de ipſa virtute exiliter ſentiebant, aut eam negabant ſolam felicitatis genitricem eſſe, ſed hoc quaerebant: in qua re ipſa felicitas poſita eſſet, et quae res caderet in hominem eiusmodi, cui ipſa beatitas inſit? Iam cum nemo Stoicorum vnquam auſus ſit dicere, in virtute et honeſtate eſſe felicitatem poſitam, ſed eius cauſſas potius, initia et ſemina in virtute eſſe, quis non videt, verborum potius quam rerum controverſias fuiſſe, quae olim inter eos agitatae ſunt, qui honeſtatem ſummum bonum eſſe voluerunt, et qui honeſtatem hoc loco mouerunt. Sed hac ſublata controuerſiae parte, ceterae facillime componentur.

53. Ipſum etiam boni et mali nomen non dubito quin impeditam hanc controuerſiam fecerit. Nam, qui rem curatius conſiderabunt, duplicem ei notionem ſubiici poſſe inuenient. Neque enim hoc ſolum bonum dicitur, quod voluptatem, malum autem, quod taedium affert (Pſychol. §. 61.); ſed ipſi etiam iucunditati rerum et ſuauitati, eique voluptati, quae ex earum perceptione exiſtit, boni nomen tribuunt, taedio autem mali: quis enim non felicitatem in-

ter bona numerat, et inter mala miseriam? Quae res, fieri non potuit, quin sententiarum diuortiis in summi boni et mali quaestione locum faceret. Nos autem, quoniam superiorem illam boni et mali definitionem adhibuimus, nullam aliam rem summi boni loco, nisi virtutem habere possumus, vnaque honestate summum bonum metiri; sin cui posterior definitio magis arridet, summam felicitatem, h. e. voluptatem perpetuam et durabilem, non illam corporis, quae perpetua et durabilis esse non potest, sed animi, quae ex virtute vna oritur, summi boni honore decorandam esse recte pronunciabit; neque virtutem is turpium voluptatum satellitem et ministram, sed honestissimarum potius honestam matrem faciet. Nunc quoniam fundamenta officiorum iecimus firma, opinor, satisque stabilitatis habentia, reliquum Iuris naturae aedificium eis ita superstruemus, vt descriptio quaedam et concinnus rerum modus, quantum fieri potest, adhibeatur.

PAR-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0188
DFG

PARTIS PRIMAE
DE
IVRE NATVRAE
SECTIO II.
ΠΑΡΑΙΝΕΤΙΚΗ
DE
OFFICIIS.

54.

ILlud primum omnium constat, incredibili quemque sui amore duci, et in omnibus rebus in sensum aliquem cadentibus, quarum quidem amore capi homo potest, primo se quemque loco habere, vt nisi se plus reliquis omnibus amet, in amore certe sibi praeponat neminem. (§. 29.) Quae quidem res satis ostendit, primum de se quemque, quidque sibi debeat, cogitare debere. Neque enim ita id accipere quisquam potest, quasi sua cuiusque vtilitas sit, ad quam hoc modo referantur omnia, cui tamen publica anteferenda potius sit. Quid enim afferre ad commune bonum publicamque vtilitatem queas, nisi ipse valeas, vitam, valetudinem, opes, honores tueare, ingenium colas, perturbationibus imperes, appetitiones in rationis quasi gyrum redigas? aut

quae potest officiorum aliis praestandorum quasi mensura afferri, nisi quid tibi ipse debeas, ante intelligas? Atque, vt fatear, nimis mihi videntur quidem ac praeter rationem vereri, ne omnis officiorum doctrina in propriae vtilitatis studium et scientiam conuertatur. Verum enim cuiusque bonum, quod est cum honestate et iustitia coniunctissimum, falso enim illo a virtute vacuo non vtimur, (§. 21.) et publica vtilitas ita sunt inter se implicatae et confusae, vt a se inuicem secerni et distingui, nisi cogitatione ac mente sola, non possint. Quicquid mihi prodest, in publicum etiam proderit: qui sibi recte consulit, in commune etiam consulit. Nam vti, qui vnius membri sui curam quandam suscipit, totum corpus curat, quia, vti morbus, ita recta valetudo ex vno corporis membro ad cetera traducitur, et ita per totum corpus perfunditur et propagatur, vt nullum fere membrum sit, quod non ex ea siue valetudine, siue vitio, aliquid commodi incommodiue capiat; sic qui suae perfectioni studet, non potest non toti societati, cuius membrum est, studere. Itaque primo quidem, quid sibi quisque debeat, docebimus; deinde ex eo officia, quae aliis singulis; denique quae societati debeantur, tanquam personae cuidam, colligemus.

CAP.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0190
DFG

CAP. I.

De Officiis cuiusque erga se.

55.

OFficium diximus esse quamcunque actionem, quam lex naturae exigit. (§. 28.) Sed quicquid a lege naturae actionum praecipitur, omne, in quaerendis comparandisque bonis, et fugiendis declinandisque malis versatur, quibus felicitas humana aut miseria, eaque vel nostra vel publica continetur. Itaque omne officium in sequendis veris bonis et fugiendis malis cernitur. Omne autem et bonum et malum tres partes, tanquam genus, subiectas habet (§. 26.); ex quo fit, vt officiorum, quae sibi quisque debet, in tria capita descripta ratio sit: primum eorum, quae ad mentem animumque; alterum, quae ad corpus; tertium, quae ad statum externum perficiendum pertineant.

56. Praecipuum officiorum genus illud est, quod menti debetur; proximum, quod corpori; extremum, quod conditioni externae. (§. 34.) Itaque, quoniam interdum accidit, vt cum primo genere secundum aut tertium, aut cum secundo tertium pugnet, non potest esse obscurum, si illud sit, primum genus, sin hoc, secundum esse sequendum.

57. Bona

57. Bona interna insunt in perfectione earum facultatum, quae menti sunt natura attributae, sentiendi scilicet, pristinas rerum imagines sensu conceptas et comprehensas instaurandi, in memoriam, quicquid velis, redigendi, attendendi, intelligendi, ratiocinandi, appetendi auersandique (Psychol. §. 7. 16. 19. 25. 30. 47. 82.) Harum itaque facultatum omnium perfectionem sectari, earumque culturae, quantum fieri potest, operam dare officii est. (ll. cc.) Ex quo fit, vt, quoniam vnius exercitationis haec vis est, vt facultates quascunque perficiat, et habilitates bonas vtilesque ad habitus traducat (Psychol. §. 100.) maximo opere esse socordiam et ignauiam in eo genere cauendam, neque committendum, vt ingenii acies obtundatur, aut eae animi dotes sepultae minimeque excultae relinquantur, quibus natura ornati sumus.

58. Sed inprimis rationis cura habenda est, in qua praecipua humanae naturae excellentia inest, cuique reliquae facultates omnes, quae in rebus obiectis cognoscendis versantur, tanquam adiutrices et ministrae adiunctae sunt. Haec una, quid verum sit, falsumque intelligit, quid bonum et malum iudicat, quid iustum et iniustum, quid honestum et turpe decernit, quid decorum et indecorum, quid pulchrum et deforme sentit; haec quid ex quaque re, tanquam ex

cauſſa

cauſſa ſua, futurum ſit, ante proſpicit; haec vna felicitatis noſtrae opifex et effectrix eſt. (Pſychol. §. 50. Iur. N. §. 24.) Dignusne igitur hoc tam excellenti ac diuino dono, ac ipſo adeo humano nomine, cupidusque ſalutis tuae beatitatisque videare, ni ad rationem perficiendam omni animi cura, cogitatione, ſtudio incumbas?

59. Atque ad hanc rationis culturam ea etiam, qua omnes trahimur, veri videndi cupiditas nos cohortari debet. (§. 7.) Ratione enim minime culta, qui poteſt, quid in quaque re verum ſit, intelligi? aut quomodo poſſumus ab erroribus tuti eſſe, qui ſaepe inſignem turpitudinem habent, vehementerque cauendi ſunt.

60. Errorum autem duo conſtitui genera poſſunt. Alterum eorum, qui ad bonum et malum, iuſtum et iniuſtum, honeſtum et turpe, aut alias res v. c. de Deo pertinent, quorumque magna eſt in vitam humanam et mores vis: alterum autem horum, qui ſunt in iis rebus, quarum nullum eſt ad mores humanos aut felicitatem momentum, quorum pleni ſunt Phyſicorum, Hiſtoricorum, et Criticorum, et quorum non? libri. Eius generis ſunt hi; viſionem fieri emiſſis ex oculo radiis, aut allatis ad oculos rerum exuuiis, colores eſſe in rebus, nullos eſſe homines, quorum veſtigia ſtent contra noſtra, accentus graecos eſſe ea, qua literas, antiqui-

quitate. Iam cauendorum errorum cura non dubium est, quin ad vtrumque genus, sed ad prius praecipue pertineat. Nihil enim est vt nocentius, ita etiam turpius, quam in his errare ac falli, quae ad felicitatem nostram pertinent, (§. 45.) Posterioris autem generis errores, cauendi illi quidem sunt, si fieri potest; turpitudinem autem nullam habent, et aequo animo ferendi sunt, vt adeo non modo iniuste, sed etiam stulte faciant, qui huius generis erroribus tanquam pestibus quibusdam indignantur, et impotentia quadam animi grauiter irascuntur.

61. Quoniam autem erroris mater ignorantia est, haec quoque depellenda, verumque omni studio inuestigandum est, in cuius inuentione et cognitione scientiam ponimus (Psychol. §. 53.) In quo quidem illud cauendum est, primo, vt ne res incognitas pro cognitis habeamus, et iudicium praecipitemus; deinde vt ne rebus nimis obscuris, ac inutilibus nimium temporis tribuamus, sed his potissimum cognoscendis operam demus, quae aliquam in vita humana vtilitatem habent.

62. Sed quoniam nullius hominis tantum est ingenium, vt omni vero cognoscendo sufficiat, suas quisque vires aut explorare ipse, aut aliorum requirere et sequi iudicium debet, qui huius rei idonei iudices habentur, illique veri generi operam suam impendere, cui assequendo

natura

natura aptus est. Nam in eo veri genere, cui cognoscendo studium suum dicauit, errare aut ignorare multa, non est ab omni turpitudine aut dedecore certe vacuum. Huius autem veri generis omnes studiosi esse debent, quod ad hanc, quam tractamus, Philosophiae partem pertinet.

63. Quae ineſt animo humano appetendi auersandique vis, natura in id fertur, quod bonum malumque aut est, aut habetur. (Psychol. §. 85.) Ex quo cogitur, quoniam natura sequi verum bonum et malum verum fugere iubet (§. 21.) et in perpetuo naturae tanquam ducis sequendae studio virtus ineſt (§. 43.); inprimis operam dandam esse, primo, vt ne obiecta inani aliqua boni maliue specie decipi nos patiamur; deinde vt omnem voluntatem nostram ad virtutem conformemus, et ad obtemperandum legi naturae assuefaciamus.

64. Cum autem nihil et ad rationis lumen praestinguendum eiusque vim opprimendam, et ad praecipitanda voluntatis decreta, totumque adeo animum conturbandum magis valeat, quam commotiones animi paullo vehementiores (Psychol. §. 80.), hae inprimis rationi, tanquam equi feroces domitori, in disciplinam et obsequium tradendae et subiiciendae sunt, vt non modo supprimi ortae, et adeo in ipsis initiis suffocari possint, sed etiam, si ita ferat res,

ad

ad salutem concitari, tanquam calcaribus equi, possint. (l. c. §. 81.) Atque hanc virtutem *temperantiam* Cicero vocat, sine qua nulla beata esse vita potest. Quid enim miserius esse his potest, qui crebro turbulentis animi motibus et iactationibus concitantur, qui semper habent, quod metuant, sperent, doleant, nunquamque sunt ira, laetitia, odio, poenitentia vacui? Quid contra beatius his dici fingique potest, qui libidinibus nullis vruntur, nullis timoribus anguntur, nunquam inanibus laetitiis exsultant, nullis taediis exeduntur?

65. Animi mentisque perficiendae studio proxima corporis cura esse debet. Huius praecipuum bonum, hominique gratissimum vita est (§. 6.) proximum recta valetudo cum singulorum membrorum, tum totius corporis. Vtrique igitur conseruandae studere debemus, neque quicquam facere, quo aut scimus certo ea bona amitti, aut accelerari mortem et infirmari valetudinem corporisque vires, aut suspicamur adeo. Omnia itaque etiam vitae morborumque pericula fugienda sunt. Nam qui scias, euasurusne periculum sis, nec ne? Multo minus ipse sibi vim facere debet quisquam et prius, tanquam periurus miles, de statione decedere, quam iubeat is, a quo in ea positus est. Nemo se quisquam nasci fecit. Quo igitur se iure mori faciet? Et vt omnem rem, quam quis alieno

alieno arbitrio suscepit, non potest etiam nisi alieno, non suo, deponere et relinquere; sic vita non sponte suscepta, nec sponte deponenda est.

66. Sed ad vitam valetudinemque tuendam tribus rebus indigemus, quas *necessitates vitae* appelles, *victu, amictu* et *domicilio*. In his igitur comparandis etiam officium humanum cernitur. Nam primo in cibo potuque adhibendus est quidam non modo delectus sed etiam modus. Natura quidem facilem dedit, simplicem minimeque noxium cibum et potum, quibus sine periculo vti quisque potest. Sed postquam ingeniosa facta est in sua damna voluptas illa, quae in suaui corporis sensu et motu inest, et ad victum ars accessit, qua non tolleretur fames, et sedaretur sitis, sed irritaretur potius; ingens ciborum copia inuenta est, quae maiorem ad corpus debilitandum vim habet, quam ad conservandum. In deligendo itaque cibo et potu praecipua valetudinis ratio habenda est, ne sumatur cibus aut potus ei noxius, sed quem sciamus corpori prodesse.

67. In ipsis autem cibis, quos constat corpori conducere, delectus habendus est. Nam cum non sint omnia omnium corpora eodem modo natura facta, non eodem affecta modo, fieri non potest, quin, qui cibus et potus aliis prodest, aliis noceat. Sedulo itaque sui cui-

que corporis natura et indoles exploranda, et quid ipsi conducat, quid noceat, periculum faciendum est, ne, qui ad confirmandum corpus a natura comparatus victus est, ad eius perniciem conuertatur.

68. Denique ipsorum ciborum, quos scimus nobis expedire, non idem pretium est, sed alii aliis sunt cariores. Itaque in deligendis cibis etiam pretii ratio habenda est, et sedulo videndum, quos patiatur res familiaris cibos, quem potum deligere, ne victus opes minuat, et paupertatem afferat.

69. Nihil etiam constat magis nocere corpori, quam ciborum simul sumtorum varietas. Officii itaque erit in sumendis cibis non libidinem gulae aut saporem exquisitum sequi, neque multiplici ciborum potusque genere eodem tempore stomachum obruere.

70. Ad delectum autem modus etiam et temperamentum accedere debet, ne aut nimis parum, aut nimis multum cibi potusque sumatur. Qui enim nimis parum sumunt, non afferunt corpori eam vim, qua indiget, sed sensim debilitant eius vires; qui autem nimio cibo se et potu ingurgitant, largiusque se in sumendo cibo potuque inuitant, stomachum eneruant, massam sanguineam corrumpunt, ex qua totum corpus, tota nutritio vitium capit. Inprimis nimius potus exhalationibus ad cerebrum missis per-

perturbat caput, animi vires obtundit, atque *ebrietatem* efficit, quae inhabilem animum corpusque facit ad suscipienda negotia, multisque aliis incommodis et periculis locum facit.

71. Iam ex cibi potusque vsu, delectu, et modo eo, quem praecepimus, oritur *sobrietas:* Cui contraria est *intemperantia*, quae neque delectum in cibis neque modum seruat. Illa in vitio, haec in virtute est.

72. Non minus autem in vestitu, quam in victu, et delectus est et modus adhibendus. Nam cum vestitus duae caussae sint, altera vt frigus arceatur et tempestatum omnium, venti, pluviae, niuis grandinisque molestia, quae si in nudum cadere corpus possent, multum detrimenti essent valetudini allatura; altera, vt eae corporis partes tegantur et conspectui hominum auferantur, quae, non natura quidem sua, sed quoniam libidini aliorum excitandae seruiunt, non possunt sine turpitudine nudae gestari: efficitur, vt is vestitus adhibeatur, qui his duobus malis arcendis accommodatus sit.

73. Praeter haec duo autem si nihil aliud esset in vestitu sequendum, eadem esset omnium in vestibus deligendis ratio. Nunc cum consentaneum sit, homines, vt honoribus et opibus, ita vestibus etiam totoque cultu externo esse distinctos et discretos; facile intelligitur, in vestitu etiam facultatum nostrarum dignitatisque

rationem esse habendam, et neque magnificentiam nimiam, neque tenuitatem adhibendam esse.

74. Domicilium autem quoniam hoc consilio constituitur, vt a tempestatibus, a vi aliisque molestiis tuti simus, in eo eligendo videndum est, vt sit satis firmum et munitum, ne perpluat, ne nimis obscurum, ne foetoribus expositum, quibus valetudo multum minuitur, ne a statu nostro et dignitate abhorreat, ne aut sordidum sit, aut nimis magnificum. Qui autem in victu amictu, et domicilii ratione eum modum seruant, quem diximus, his *frugalitas* tribuitur, qui eum excedunt, *luxuria*.

75. Sed vt totius in uniuersum corporis, ita cuiusque etiam membri singulatim cura esse, inprimisque eorum debet, quae sensuum instrumenta sunt, vt aurium, narium, oculorum etc. In quo genere primum omnes paullo vehementiores asperioresque agitationes sensuum, nimia lux, nimius odor et vehementior sonus fugiendus, quibus sensus ipsi hebetantur: deinde in incessu, in actionibus singulis ea moderatio et prouidentia adhibenda, ne quid detrimenti aliqua corporis pars capiat. Oculorum inprimis cura habenda; quorum sensus, vt est ceteris omnibus celerior et acutior, ita etiam facillime debilitatur, vt nimiis lucubrationibus ad lucem inprimis obscuriorem institutis.

76. Ca-

76. Cauendum autem est illud vitium, quod est in anxia nimiaque corporis cura positum, quo, qui laborant, hos *molles* et *effoeminatos*, quin *corporis mancipia* et seruos appellant. Necessaria magis res est corpus, vt ait Seneca, quam magna, et nimis molliter habitum, debile potius fit, quam firmum, suggeritque voluptatis corporeae studium; paullo durius autem habitum robustum, stabile, firmum fit. Itaque a pueris ferendo frigori, calori, siti aliisque rebus assuescere corpus debet, quas qui sine dolore et aegritudine ferre potest, hunc *patientem* dicimus, eique *fortitudinem animi* et magnitudinem tribuimus, cuius tamen patientia vna tantum pars est. Nam fortitudo etiam cernitur in spernendis corporis voluptatibus, omnibusque his rebus, quae magnae et praeclarae vulgo videntur, vt diuitiae, honores, genus nobile, in contemnendis, certe non nimis timendis, periculis et malis corporeis. In quo tamen magna cautio adhibenda est, ne audax potius sit, quam magnus et elatus animus. Nam qui in pericula quasi irruit sine consilio, coeco quodam animi ferocientis impetu, non is fortis sed *temerarius* merito habetur, quia est ab honesto omnis ea ratio remota. Sed quoniam ea fortitudo, quae est posterioris generis, in bello potissimum se exserit, hos inprimis fortes dicimus, qui in bello res magnas et arduas, omni

timore posito, gerunt. Neque tamen propterea hoc fortitudinis genus priori illi praeferendum est. Difficilius enim est se quam alios vincere. In quo quidem genere turpissimum est, hostes multos magno animo vincere, se domare non posse, et muliercula aut pecuniola domari et subiugari.

77. Ea fortitudinis pars, quae patientia dicitur, inprimis in labore cernitur; cuius et suscipiendi non vna ratio, et suscepti peractique non vnum commodum est. Primo enim natura ita facti sumus, vt semper aliquid agere cupiamus (§. 11.); deinde omnes eae facultates, quae corpori sunt animoque attributae, perficiuntur exercitiis et laboribus (§. 76.) vis corporis inprimis augetur, et valetudo recta confirmatur, ipse cibus et potus iucundior efficitur; denique ipsae vitae necessitates labore parantur, opes conseruantur et augentur.

78. Duo autem in hoc genere vitia fugienda sunt, primum, vt ne vtilitatis cupiditate ducti nimiis laboribus nos fatigemus, atque somno etiam nos priuemus, qui etsi parce, ne ipse nos debilitet, non tamen nimis breuis capiendus est: alterum ne voluptate a labore nos abstrahi patiamur, et otio tempus teramus; quod qui faciunt, *ignaui* dicuntur; ex quo non possunt non multa et magna incommoda, mollities corporis animique, voluptatis studium, paupertas etiam

etiam exiſtere. Qui autem tantum agunt, quantum vires patiuntur, et ſine corporis valetudinisque detrimento fieri poteſt, his *diligentia* tribuitur.

79. Poſt corpus proximam ſibi curam poſcit conditio noſtra. In ea autem duo inſunt, *honor* et *res familiaris*, ex quibus multa officia efficiuntur. *Honor* eſt ex opinione et iudicio boni, quod alicui aut ineſt, aut ineſſe creditur. Eius duo genera ſunt, alterum cum et id, quod bonum alicui ineſt, vere bonum eſt, et id ipſum ei ineſt, cui ineſſe creditur; alterum, cum aut non eſt bonum, aut ab eo abeſt, cui tribuitur. In priori *verus*, in poſteriori *putatitius honor* eſt. Atque eadem eſt *ignominiae* ratio, quae ineſt in iudicio hominum, de eo, quod turpe alicui ineſt. Nam ſi eſt turpe id, quod putatur, et recte ei tribuitur, cui ineſſe creditur, *vera ignominia*, vera turpitudo eſt; ſin in alterutro falſum eſt hominum iudicium, *falſa ignominia et putatitia eſt*. Omnis itaque honor ex honeſto et iuſto, ignominia ex turpi et iniuſto oritur. (§. 29. 37.) Sed cum in honeſti iuſtique ſtudio virtus inſit, in turpi et iniuſto vitium; nihil verum honorem afferre praeter virtutem, nihil veram ignominiam praeter vitium poteſt. Quamobrem neque quae ſine culpa noſtra, fortuna, nobis mala accidunt, ignominiam, neque, quae fortuna tri-

buit bona, honorem vllum afferre possunt. Ab honore autem cum laus proficiscatur, nihil *laudabile* est, quin sit honestum et iustum. Haec itaque vna, vera et regia via est ad laudem et gloriam, recte omnia, honeste et iuste facere; ad quam qui alia via quacunque grassantur, nae illi non veram laudem, sed eius inanem speciem sequuntur.

80. Iam quin is honor sit expetendus, ea ignominia declinanda, quam nos definiimus, quis potest dubitare? nisi vero nec ipsa virtus expetenda, ipsum vitium fugiendum est. (§. 10.) Sed hic cautio adhibenda est, ne falsum honorem, id quod saepissime accidit, sequamur, et a laude honestatem et iustitiam seiungamus, sine qua nulla vera laus esse potest. Quod qui volet facere, vehementer caueat, ne honorem et laudem, ignominiamque ex vulgi sententia metiatur, quod generi, diuitiis, dignitatibus omnem honorem attribuit. Cauendum est etiam, ne laudibus vulgi capi nos sinamus, aut insidiosis adulationibus eorum, qui sui commodi caussa placendique studio omnia dicta et facta nostra laudant, etsi longe aliter de iis sentiunt; neque irascamur, si qui nolunt eam nobis laudem, eumque honorem tribuere, qui nobis virtutique nostrae debetur, in quo inprimis magnitudo animi cernitur. (§. 88.)

81. Te-

81. Tenenda etiam est diuina illa Socratis vox, qui hanc viam ad honorem et gloriam proximam et compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, vt, qualis haberi vellet, talis esset. Nam qui simulata virtute et eius inani specie quadam insidiose assumta honorem laudemque captant, rem minime stabilem, sed fragilem, caducam, et breui perituram consequi student. Melius itaque multo est, et ad tranquillitatem animi beatitatemque vtilius, esse, non videri, quam videri, non esse.

82. Quare si his adstricta legibus, ad haec praecepta instituta et conformata est honoris, laudis gloriaeque cupiditas, in virtute merito ponitur, et optimo cuique conceditur. Natura enim ita nos ipsa ad laudis studium conformauit, vt, quo quisque est ingenii animique dotibus affluentior, eo sit laudis gloriaeque appetentior et studiosior. Si autem in honoris laudisque studio aliud praeter virtutem spectamus, in vitio merito habetur, inanisque omnis ea opera censenda est, quae in hoc genere ponitur.

83. Reprehendendi etiam sunt hi, quos nulla laus vel maxima satiat, quique semper nouas laudes, nouos honores quaerunt, adhibitis etiam praesidiis et artibus minime cum virtute coniunctis; quos *ambitiosos* vocant. Est enim *ambitio* honorum studium, quos nec mereare,

nec bonis artibus consequi queas. Eius caussa aut inanis et falsa de honorum praestantia opinio, aut *superbia* et *fastus* animi est, quae est in vana et inani opinione posita, quam quis de se concepit; vt cum doctiorem te, prudentiorem putes, quam quidem sis. Neque vero minus peccant hi, qui de aliorum opinione securi, quid de se alii cogitent, aut dicant, minime curant, iuxtaque habent, laudentur an vituperentur, quibus quidem *humilis abiectusque animus* tribuitur.

84. Ad honoris et famae studium ignominiaeque fugam rei familiaris cura adiungi debet. Ad *rem familiarem* autem pertinent omnia ea, quae aut ad victum, amictum, reliquasque vitae non necessitates modo, sed commoditates etiam suauitatesque pertinent, aut quibus eae res comparari possunt. Hanc qui tam lautam habent, tamque abundantem, vt sumtus et ad necessitatem et ad iucunditatem faciendos excedat, hos *diuites* appellamus; qui autem vix ac ne vix quidem habent, quantum necessitatibus sufficit, *pauperes* sunt.

85. Paupertas et diuitiae aut fortunae, aut suae cuiusque culpae debentur. Multi enim ex ditissimis pauperes, et contra ex pauperrimis locupletes facti sunt; illi quidem negligentia rei familiaris, luxu et magnificentia, hi labore et diligentia. Sed praecipuam hic vim habet

habet illa rerum humanarum Domina fortuna, h. e. ea, quae praeter noſtram operam et conſilium accidunt. Nam genus, parentes, cognati, coniugia, et quae alia huiusmodi ſunt, plerosque, qui ſunt, diuites efficiunt, eadem vero etiam pauperes. Accedunt incendia, inundationes, furta et rapinae, bella, fraudes et alia eius generis, quibus multi ad inopiam quotidie rediguntur. In his autem diuitiis eaque paupertate, quae eſt a culpa noſtra vacua, nihil laudis honorisque eſt, quoniam nihil neque virtutis eiusmodi diuitiae, neque vitii paupertas habet. (§. 79.) Quae autem diuitiae laboris et diligentiae fructus ſunt, laude honoreque dignae; quaeque paupertas luxuriae ignaviaeque debetur, ignominioſa eſt; non quo aut harum diuitiarum, aut huius paupertatis alia ac ſuperioris natura ſit; ſed quod virtutem vitiumque produnt, a quibus omnis honor et ignominia proficiſcitur.

86. Paupertas et diuitiae aequo animo ferendae ſunt: illa ne demittamus animos, ac cum paupertate ita coniunctam miſeriam putemus, vt nemo pauper felix eſſe poſſit, qui error, neſcio quomodo, nunc vbique inualuit; haec ne inſolenter nos geramus, aut iis ad luxuriam, et ignauiam abutamur.

87. Paupertas, ſi fieri poteſt, vitanda eſt; diuitiae, ſi deſunt, contemnendae, id enim eſt magni

magni et elati animi (§. 88.); si meritis nostris tribuuntur, aut a fortuna offeruntur, non negligendae. Illud autem operam demus, ne aut diuitiae profundantur temere, aut cum iniustitia comparentur et corradantur. Quamobrem et in sumtibus faciendis modus adhibendus est et temperamentum, ne praeter hos faciamus, quos necessitas, honesta delectatio et conditionis ratio requirit, et in augenda re familiari, ne nimia sit pecuniae cupido, ex qua non possunt non multa iniustitiae genera consequi. Inprimis cauenda est et *auaritia*, quae pecuniae diuitiarumque amorem habet, ac plus desiderat, quam opus sibi est, neque in colligendis opibus malis etiam artibus vti recusat, et *profusio*, quae maiores sumtus, non generoso quodam pecuniae contemtu, id enim magni animi esset, sed voluptatis studio et superbia, facit, quam ferre res familiaris potest. His duobus vitiis media interiecta est *parsimonia*, quae non necessarios sumtus recidit, ac non nisi hos facit, qui ad necessitates vitae et delectationem rationi consentaneam pertinent; quae quidem in virtute recte ponitur. Ea vt omnibus, ita inprimis his commendanda est, quibus paullo angustior res est, vt si quis forte morbus aut aliqua fortuna inciderit, quae non patiatur labore victum parare, habeant, quo se sustentare possint.

88. Sed

88. Sed nihil excellentius magnificentiusque et humana natura dignius est eo, quem diximus, animo magno, qui se super omnes res humanas effert, omnes honores laudesque inanes, omnes diuitias generose contemnit, qui omnes laborum molestias, omnia pericula spernit, omnes dolores morbosque sustinet patienter, nullis aduersae fortunae casibus indignatur, ipsam mortem minime timet, quam scit corpori, non animo obesse, qui etiam post mortem superstes sit, et suae virtutis, sapientiae praemia ferat. Contra nihil contemtius ac turpius animo angusto et minuto, qui omnia admiratur, omnia amat, desiderat, timet ac horret. Itaque, si quid legimus ab aliquo esse magno animo dictum aut actum, videmur ipsi vna efferri animo, atque ad illius magnitudinem aliqua ratione assurgere, et omnia humana cum illo contemnere, si quidem adhuc residet in nobis aliqua ingenui animi scintilla: contra autem indignari et contemtum animo concipere, si quid abiecte, si quid sordide, si quid humiliter, si quid timide dictum aut factum legimus; quod magno argumento est, innatum hoc nobis esse, vt humana et humilia contemnamus, et in magno animo praecipuam hominis excellentiam positam esse. Omnis autem magnus animus ex virtute, angustus ex vitio oritur. Vna igitur

tur virtus admiratione, atque adeo homine digna est, qua qui carent infra humanam conditionem abiecti sunt.

CAP. II.
De Officiis erga alios generatim.

89.

QVae sibi quisque debet officia in tres classes descripsimus, et primo de his, quae ad animum, deinde de iis, quae ad corpus, denique, quae ad externam conditionem pertinent, egimus. Eundem itaque ordinem in explicandis officiis erga alios tenebimus.

90. Principium autem et quasi fons omnium horum officiorum est amor, quem omnibus hominibus debemus, (§. 35. Psychol. §. 67.); quo si est imbutus animus, non poterit quicquam aut cogitare aut facere, quod aliis obsit. Sed cum amor ex cognita pulchritudine ducatur, (Psych. §. 64.) et eadem pulchritudo non possit non eundem amorem mereri; efficitur, vt, quem nobis, eundem et aliis amorem debeamus, cum natura omnes nos pene iisdem dotibus ornauerit. Omnes enim intelligendi et appetendi facultate, ratione et corpore summae artis pleno instructi sumus; omnes eodem sole colluſtramur, eundem spiritum ducimus, eadem terra alimur. Quod si autem eundem aliis debemus,

bemus, quem nobis, amorem, facile intelligitur, eadem etiam nos aliis, quae nobis, officia praestare debere, quantum quidem sine nostro detrimento insigni fieri potest. (§. 54.)

91. Amoris haec vis est, vt eis commodemus, quos amamus, nihilque noceamus. Itaque opera danda est, vt aliis, quicquid possumus commodi, afferamus, nihil damni inferamus, in quo maxime iustitia elucet, (§. 37.) Itaque qui aliis plus sapiunt, plus vident, eos instituant, doceant, errantes in viam reducant, a vitiis abstrahant, ad virtutem cohortentur, omnia faciant, quibus animus eiusque vires iuuantur, augentur, perficiuntur. (§. 56. sqq.) Sed cum non possint omnes omnibus hoc praestare; quilibet praestet his, quibus potest, quibus promisit, neque occasionem, si qua oblata fuerit, praetermittat eiusmodi commodi alicuius afferendi.

92. Inprimis autem cauendum est, ne vitam cuiquam auferamus, qua nullum maius hominis bonum est, si ab his quidem recesseris, quae ad animum pertinent. Itaque etiam, cum in nos impetus fit, et in periculo ipsa vita nostra versatur, omnia facienda sunt, vt vitam nostram ita conseruemus et eripiamus periculo, vt simul aduersarii vitae parcatur; neque eo progrediendum est, vt eum vita priuemus, nisi in eum locum deducta res sit, vt praesentissimam et ineuita-

euitabilem mortem esse videamus, nisi eum praeoccupemus. (§. 53.)

93. Tuenda etiam omnibus modis aliorum valetudo est, non modo consiliis, sed re etiam, et factis. Itaque, quicquid intelligimus, esse eiusmodi, vt ex eo detrimentum capere, aut in periculum venire valetudo cuiusquam possit, omittamus. Huiusmodi sunt, conuiciis alios proscindere, ad iram prouocare, poculis vrgere, ad cibos aut noxios aut largius sumendos nimis inuitare, foetoribus temere concitatis molestiam creare, cetera quibus omnibus valetudo recta minui laedique potest.

94. Totum, vt paucis complectamur, corpus cuiuscumque sacrosanctum nobis sit, magnoque opere caueamus, ne aliquid, iactu, verbi caussa, ictu aut alia ratione, committamus, quo membrum eius confringi, contundi, vulnerari, laediue possit.

95. Vt autem animo corporique, ita famae etiam honorique alterius consulendum est. Quamobrem neque verbis detrahere de altero, neque eius laudibus inuidere, neque ulla ratione eas minuere, multo minus conuiciis proscindere alios debemus, aut calumniis, hoc est, fictis et ad nocendum excogitatis criminibus aliorum honori et famae insidiari.

96. Sed vt honori consulendum alterius est, ita etiam cauendum, ne cuiusquam superbiam alamus,

alamus, aut ipsum vano fastu tumentem inflemus; quod quidem fit fictis laudibus simulatisque tribuendis. Itaque cum per se humilis sit et abiecti animi adulatio, omnis ea ex familiaritate et consuetudine remouenda est. Quas autem laudes quis meritus est, has libenter tribuamus, atque in hoste etiam virtutem laudandam putemus.

97. Ex alienae autem rei familiaris custodia plurima officia ducuntur. Primum autem illud, vt ne cuiquam quid, inuito ipso et repugnante, neque vi, neque clam auferamus; nisi quidem ad nos pertineat, aut magistratus auctoritas accedat. Nam quicquid ita aliis aufertur, *furti* crimen habet. Alterum, vt ne *fraude, dolo* quemquam decipiamus, hoc est, ne fictis cauſſis inducamus, vt aliquid rei suae ad nos transferat cum detrimento suo, aut minis, auctoritate, litibus absterreamus, quo minus, quod sibi debetur, postulet, aut quod habet, seruet. Nam et fraus furti vim habet. Tertium, vt ne committamus, vt eius aut domus, aut ager, aut pecus, aut quaecunque res damnum capiat; si quidem impedire, quo minus fiat, possumus. Nam non modo damnum facere in vitio habetur, sed etiam, cum possis, non auertere damnum. Sed haec quam late pateant, paullo post declarabitur.

98. Summum officium sub quo pleraque tanquam sub genere suo subiiciuntur, hoc est: *Nemini nocendum* vlla ratione. Neque si quis prior laeserit, multandus simili modo, vt Phaedro visum est. Quid enim? si alius me laedere atque officium migrare sustinet, eane res ius mihi dabit, quod est officii mei, negligere, aut contra officium facere. Scilicet hoc est ex Philosophia Romana, quae nocentibus nocere, inimicis inimicum esse iubebat, non autem ex nostra, quae accuratius debet esse ad rationis legem conformata.

99. Quid autem faciendum huic sit, si quis aut errore deceptus, aut cupiditate incitatus, aut quacunque alia ratione ductus contra officium in hoc genere fecerit, et alicui damnum intulerit, solutum est intelligere. Nam cum, quod factum est, fieri infectum nequeat, efficiendum certe est aliquo modo, vt damni vis tollatur, et quasi medicina quaedam adhibeatur malis, quae ab illato damno profecta sunt. Quod quidem qua ratione in his fieri possit, quae ad rem familiarem pertinent, facile patet. Nam si quis reddiderit, quae contra ius abstulit, omnis etiam sublata iniuria est. In quo tamen illud tenendum est, vt ad rem, quam reddimus, quasi impendium quoddam et cumulus adiiciatur, quod constat commodi ex ea re fuisse ad dominum rediturum, nisi ea ipsi carendum fuisset.

100. Sed hoc reſarciendi damni officium latius patet, ac nonnullis, inprimisque his videtur, qui ex iuris civilis legibus, huius noſtri iuris officia metiuntur; neque ſolum ad rei familiaris iniurias pertinet, ſed per omne iniuriarum genus fuſum eſt. Quae enim afferri ratio probabilis poteſt, quare his iniuriis medeamur, quibus rei familiari, quae infimo inter bona loco eſt, detrahitur, ac non etiam his, quibus animo, vitae, valetudini, corporis membrorumque integritati, honori, et famae nocetur? Quamobrem opera danda eſt, vt his etiam ſatisfiat, ſi qua fieri ratione poteſt, quibus in poſteriori genere aliquo iniuria facta eſt, aut his certe, ad quos ex ea iniuria damnum aliquod redundat. Vt, ſi quis ſit a nobis errore graui imbutus, aut animus eius in aliquo genere corruptus, aut eius famae ſaepe a nobis ſit detractum, vt multorum animos mala de eo opinio inuaſerit, ex qua detrimentum aut ceperint eius fortunae, aut capere certe poſſint; omnia ſedulo facienda erunt, vt error et corruptela plane depellatur, et ſiniſtra opinio ex omnium animis evellatur, qui noſtra culpa ſunt ea infecti. Sed cum facile intelligatur, eam rem multas grauiſſimasque difficultates habere, ſaepe ne fieri quidem poſſe, eo magis ab omnibus his iniuriae generibus cauere quisque ſibi debet.

CAP. III.

De Officiis erga amicos et inimicos.

101.

EXpositis his officiis, quae omnibus debentur, nunc, quae cum his coniuncta sunt, quaeque nonnullis tantum, ac cum conditione quadam debentur, declarabimus. Ab amicitia autem incipiemus, qua nihil est in omni vita iucundius. Quibuscum sumus homines, non vno omnes modo in nos animati sunt. Quidam enim nos amant, atque eam ab causam *amici* dicuntur; quidam autem oderunt, hosque *inimicos* appellamus; inter vtrumque genus autem medium est eorum genus, qui neque amore neque odio nostri ducuntur. Ex quo statim intelligitur, cum amore omnes complecti debeamus (§. 90.) nulli inimicum, omnibus amicum esse quemque debere.

102. Qui nos amant, hoc animo sunt, vt felicitate nostra laetentur, et, quibus possunt rebus, nobis commodent; qui contra nos odio prosequuntur, incommodis nostris laetantur, et, quantum in ipsis est, operam dant, vt damnum aliquod nobis afferant. Quamobrem in factis quisque et verbis id spectet, nullius vt offendat animum, neminem sibi inimicum reddat, sed omnium sibi amorem et amicitiam conci-

conciliare ſtudeat. Neque vero propterea ſibi inimicos contemnendos putet, quia ipſis longe ſuperior eſt genere, ingenio, opibus, ſed quamuis ſublimis etiam humillimos quosque metuat, quia, vt apud Phaedrum eſt, vindicta docili ſollertiae patet, atque infimis quibusque ſaepe etiam ſummis nocendi facultas et occaſio eſt.

103. Sed quamuis inimicum habeamus aliquem, non tamen eius odium ab officio nos abducere debet. (§. 98.) Inimici etiam homines ſunt, ipſisque omnia ea debemus, quae hominibus debentur. Itaque grauiſſimis etiam iniuriis laeſi, nunquam tamen ad reddendam ipſis vicem induci nos patiamur, omneque vindictae ſtudium penitus abiiciamus, quo facillime iuſtitia laeditur; ſed operam potius demus, vt non patientia modo, ſed benefaciendo etiam odium eorum minuamus, et ex inimicis amicos efficiamus. In hoc enim quoque magni animi vis cernitur, vt aequo animo iuiurias feramus, neque his iraſcamur, qui nos laedunt, ſed omnes iniurias honeſtati condonemus, adeoque veniam admiſſorum inimicis libenter demus.

104. Ad eam autem amicitiam, quam omnibus debemus, interdum accedit familiaritas quaedam et conſuetudo, arctaque quaedam animorum voluntatumque coniunctio, qua duo fiunt quaſi vnus; quam quidem proprie amici-

tiam dicunt. Ea oritur ex similitudine animorum, et intellectis alterius virtutibus. Nam vt quemque nobis simillimum, et maximis animi dotibus ornatissimum deprehendimus, ita maxime eum amare solemus, tum, quia in eo quandam nostri imaginem expressam videmus, tum quia, quod bonum perfectumque in suo genere est, ex eo voluptatem natura percipimus. (§. 14.)

105. Sed quoniam hoc amicitiae genus ex animorum voluntatumque similitudine et conspiratione oritur, vtilitatis caussa suscepta consuetudo non potest vera amicitia esse. Nihil enim stabilitatis potest, nihil constantiae, habere, quae tamen praecipua amicitiae virtus esse debet, si ad commodum tota refertur. Si quis enim casus aduersus inciderit, omnis amicitia dissoluitur.

106. Neque ea coniunctio voluntatum pulchro amicitiae nomine digna est, aut ineunda, quae sceleris alicuius iunctis viribus perficiendi caussa conciliatur. Neque enim ab honestate et iustitia seiunctum esse debet, quod ad suavitatem vitae, ad quam comparata esse amicitia debet, suscipitur. Itaque in ipsa amicitia etiam nihil amici caussa et gratiae ab eo ineundae ergo facere debemus, quod non sit cum honestate coniunctum, neque ab amico desiderare, quod recte fieri nequeat. Ex quibus quidem facile

facile intelligitur, sine virtute nullam veram, honestam et constantem perfectamque amicitiam esse posse.

107. Sed ineundae amicitiae praecipua cautio est, ne iudicium in eligendis amicis praecipitemus, et, vt primum quemque vidimus aut audiuimus cum iucunditate aliqua, ita statim eum amicum habere, atque in amicorum numerum asciscere velimus. Magna est enim in hominibus multis simulatio et dissimulatio, qua vitia non modo tegunt et occultant aliquamdiu, sed virtutis etiam quandam speciem assumunt, quae, nisi propius diutiusque spectetur, facile imponere non acutissimo potest. Itaque veteres recte praeceperunt, de eo demum, amicine loco habendus sit, iudicari posse, quocum aliquot salis modios comederis. Altera cautio est, vt amicos te dignos, tibique non virtute solum, sed, si fieri potest, vitae studiorumque genere similes eligas, nam et haec aliquam vim habet ad amicitiae et suauitatem et constantiam.

108. Constituta autem et inita amicitia, operam adhibeamus, vt beneficiis omnique officiorum genere fiat quotidie confirmatior; inprimisque vitium illud amicitiarum puerilium fugiamus, ne scilicet familiaritate ad contemtum abutamur, plusque in amicum nobis quam in alium licere putemus. Nam, vt quisque

nobis est amicissimus, ita maxime debet inuiolabilis verbis factisque haberi.

109. Sed quoniam praecipuum amoris, atque adeo etiam amicitiae munus est, omnia facere, quae ad alterius salutem commodumque pertinere videntur, quae contra, omnia sedulo omittere; facile intelligitur amicitiae esse, amicum errantem in viam, sed humanissime, reducere, vitia eius, mores et temere maleque facta, sed sine contumelia, reprehendere, vt intelligat scilicet, amoris caussa se moneri, non carpendi, irridendique studio. Plane itaque deponenda est, et penitus eradicanda peruersa horum opinio, qui amici esse hoc vnum putant, vt blande semper cum altero loquatur, nil neque dicat neque faciat, quod ei molestum auditu esse aut visu possit.

110. Et quandoquidem quasi leuati nobis quadam molestiae nos vrgentis parte videmur, si, in cuius aures quasi exoneremus sinumque effundamus, quae vrunt nos et premunt, habemus; cauenda quidem est eorum leuitas, qui, quicquid eos male habet, omnibus credunt; neque tamen minus horum diffidentia, qui ne amicis quidem audent credere, quod animum vexat et mordet.

111. Denique summopere studendum est, ne prius recte instituta et contracta, vsuque et consuetudine confirmata amicitia, quam ipsa

vita

vita dimittatur et deponatur. Itaque omnibus modis faciendum est, vt officiis alamus amicitiae vim, et vinculum, quo constricti sunt et copulati perspectae fidei amicorum animi, quotidie arctius adstringamus.

CAP. IV.

De Officiis in Sermone, Promissis et Pactis.

112.

AD societatem cum aliis non modo ineundam, verum etiam conseruandam, nullum maius accommodatiusque vinculum sermone est; quo si caruissent homines, non magis respublicas condere, ac bruta animalia, potuissent. Sermonis itaque inueniendi adhibendique haec vna ratio, vnum consilium fuit, vt cum altero communicare quisque cogitata queat. Id, vt fieri posset, constituendum, si non solemni aliquo decreto, consuetudine tamen erat, quae cuique verbo subiecta vis esse debeat. Quare, qui aliud ore gerit, aliud corde premit, sermone abutitur, eumque fallit, quicum loquitur.

113. Iam cum nemo libenter decipi se ab alio in hoc etiam genere patiatur, irrisumque se putet, si quid sibi eiusmodi contigit; huius etiam generis fraus fugienda, omnisque, vt e tota vita, ita e sermonibus etiam simulatio et dissi-

mulatio tollenda; nisi quidem eiusmodi res inciderit, vt simulatio et dissimulatio adhibita nemini noceat, tibi autem aut aliis prosit multum. Nam eo loco quare non sit ea vtendum, minime video, inprimis apud ineptos et male importunos percontatores, qui omnia, quae ipsorum nil interest scire, sibi dici volunt, neque instare interrogando ante desinunt, quam aliquid responsi tulerint.

114. Plane autem abhorrenda est et detestanda turpitudo *mendacii*, quod in eo positum est, cum quis, quod falsum est, studio dicit, eoque nocet his, quibus dicit. Nam cum omnis noxa cum iniustitia coniuncta sit, etiam iniuste, adeoque turpiter agere hic censendus est, qui mentiendo nocet. Itaque iustum est in omni sermone simplicem, veritatis studiosum, minimeque fallacem esse.

115. Vitanda etiam *garrulitas*, quae de rebus vilissimis leuissimisque apud quosque multa loquitur, neque temporis aut loci aut personarum rerumque rationem habet; qua nihil graui homine indignius, nihil grauibus hominibus molestius est. Itaque etsi minime probanda sit horum morositas, qui in consuetudine, quae maxime sermonibus sustinetur et suauis efficitur, pene muti sunt; non est tamen horum ferenda leuitas et importunitas, qui, quicquid sciunt, quicquid in mentem venit, effutiunt et

apud

apud hos etiam talia loquuntur, talia narrant, quorum nihil interest ea scire, quibusque nemo prudens ea narrare audeat.

116. Inprimis autem cauendum est, ne res nobis commissas et creditas temere effutiamus, et his damnum inferamus, qui eas nobis crediderunt; sed silentii potius fidem seruemus cum in his, tum in omnibus iis, quae non omnibus nota esse debent: nisi quidem res nobis commissa sit eiusmodi, qua celata, magnum aliis aut societati periculum immineat, patefacta autem id omne auertatur. Qui enim res huius generis tacere vellet, non taciturnus is, sed iniustus potius habendus esset.

117. In omni sermone hoc etiam teneamus, vt ne cuius honori famaeque temere noceamus. (§. 103.) Itaque non solum ab omnibus criminationibus, calumniis, maledictis nos abstineamus; sed honorifice etiam de quoque loquamur, suam ipsi laudem libenter tribuamus, eiusque vitia tegamus potius, quam propalemus; siquidem eiusmodi sint, vt nullum magnopere damnum ab iis metuendum sit.

118. Summa omnis sermonis lex haec esse debet, vt nihil loquamur non cum honestate coniunctum, aut quod vitiis et rerum turpium amore imbutum animum prodat, aut incendere prauas cupidines audientium possit, aut malarum artium et rerum cognitione eorum animos imbu-

imbuat. Itaque etiam peccare docentes historias a sermone remoueamus, omnesque iocos illiberales, effusos, turpes, obscoenos aut nimis salse et acriter hos pungentes, contra quos dicuntur. Nam his laeduntur hominum animi, inimicitiae conciliantur, ipsisque iocantibus saepe grauissima damna contrahuntur.

119. Illud denique maxime est iustitiae, vt promissis fides constet; nisi, quae promissa sunt, aut vires nostras excedant, aut honestati iustitiaeque repugnent Qui enim aliquid promittit alteri, neque obstrictam fidem exsoluit, damnum ei infert, quod est iustitia alienum. Qui autem promisit, quod aut illi ipsi, cui promissum est, aut aliis noceret, aut sibi plus noceret, ac prodesset huic, cui promissum est, iniuste faceret, si praestaret; et quod fieri nequit per se, aut vires nostras superat, neque est adeo in potestate nostra positum, a nobis exigi minime potest. Itaque, quoniam laesa promissionis fide facile laeditur eius animus, cui promissa facta sunt, cauendum est ab omni in promittendo leuitate et inconsiderantia.

120. Praecipuum autem promissorum genus illud est, quod *pactum* vocatur, et est in mutuis promissis positum; vt cum inter oppugnatores vrbis et obsessos conuenit de induciis certorum dierum. Eius vis omnis a vi promissi pendet, non a re, de qua pacti sumus, quaeque varia

varia esse et multiplex potest. Itaque qui promissorum iura nouit, in pactis etiam quid iustum sit nec ne, intelligat necesse est. Scilicet in omni pacto primum illud tenendum est, vt de qua re contrahitur, non sit illa eiusmodi, quae per se debeatur, vt de reddendo debito, de fide, de obedientia parentibus praestanda, sed de his quae per se non debentur; deinde vt sit in potestate nostra; denique, vt honestati minime repugnet. Nam in posterioribus duobus generibus, vt nullum promissum, (§. 119.) ita nec pactum vllum locum habet; nec si de tertii generis rebus contractum sit, seruandi pacti vllum officium est.

121. Ipsum etiam pactum debet animo ab omni metu libero fieri, nullis adhibitis malis artibus, minis, nulla vi, nullo dolo. Nam quomodo promissum dici potest, quod vi extortum est, aut quod non esset promissum, si mentem nostram aut rem ipsam recte perspexisset is, quocum conuentum est. Itaque ne hoc quidem genus pacti vllam habet ad obstringendam fidem nostram vim.

122. Sed vt plenum sit perfectumque pactum, vtraque pars consentiat de ea re necesse est, de qua quidem pactio fit. (§. 120.); eaque tamdiu consensio duret, dum factum sit id, quod pacti erant. Nam si inter vtrumque paciscentium de tollendis conuentis abolendoque pacto conue-

conuenerit, pacti seruandi officio vterque exsoluitur. Quamdiu autem vel vterque vel alteruter pactum seruari vult, tolli non potest.

123. Inprimis a pacto abesse debet omnis verborum ambiguitas et fallendi decipiendique animus; neque nimis callida et malitiosa verborum interpretatione quicquam in pacto mutandum, aut aliter faciendi licentia sumenda, ac ex pacto fieri debebat, aut quacunque alia ratione vis pacti eludenda est. Nam ita iniuria fit aliis, quae abesse maxime a viro honesto et iusto debet.

124. Quoniam autem promissi vim habere non potest, quod ab his fit, qui mentem alterius, qui sibi aliquid promitti vult, intelligere, et, res ipsa, quam promittere debent, qualis quidem sit, non possunt cognoscere, vt infantes, plenam rationem nondum adepti, mente capti, ebrii, somno impediti, ceteri; nullum ab his pactum fieri potest, quod iure valere possit.

125. Iam natura et vi pactorum explicata, ad eorum diuersa genera veniamus, quae ex diuersitate rerum oriuntur, de quibus pacta fieri possunt; id capite sequente, praemissis his, ex quibus intelliguntur, expediemus.

CAP.

CAP. V.

De Officiis in comparandis administrandisque facultatibus etc.

126.

QVae nos huius terrarum orbis incolas fecit natura Diuina, eadem nos sine dubio eius etiam dominos esse voluit, vt, quicquid in eo vsquam deprehenderetur, ad vsus et commoda nostra assumeremus, et vel arte atque vi cogeremus. Neque quae huius orbis auctor natura est, parca fuit in terra his bonis ornanda, quae ad humanos vsus pertinere possunt. Non enim necessitatibus solum humanis prouidit, sed deliciis etiam prospexit, vt minime verendum sit, ne non possit aliquando alere suos incolas terra.

127. Ac cum primum quidem homines, quos duos fuisse constat, in hoc orbe, tanquam augusto aliquo domicilio, positi essent, hique nouos homines procreassent, et ipsos nouam subolem mox genituros, nihil in toto hoc orbe ita cuiusquam erat, vt non alterius esse quoque potuerit, modo prior iniecisset manum. Tanta enim erat rerum abundantia, vt exigua earum pars a tam paucis consumi posset. Itaque omnia omnibus erant communia, donec aliquis occuparet, atque in vsus suos conuerteret;

ret; nam hic tunc vnus erat rei acquirendae modus, praeterquam in his rebus, quae labore et arte quadam efficiuntur, quae, id quod facile patet, propterea cuiusque erant, quia earum auctor erat et opifex:

> Nec signare quidem, aut partiri limite campum
> Fas erat: in medium quaerebant. Virg. Georg. I. 126.

128. Atque hic status rerum diu mansit, tamdiu scilicet, ac numerus hominum passus est; perpetuus vtique mansurus, si potuisset, sine ipsius generis humani pernicie, permanere. Sed cum pene in immensum creseceret ab exiguis initiis genus humanum, vt multitudine laborare sua videretur; plerique praeterea homines essent ad ignauiam, voluptatem, luxuriam propensi, verendum erat, ne breui nemo quicquam haberet, si cuique quiduis ad se rapere et absumere liceret, et multa alia malorum genera inde in genus humanum redundarent. Itaque sensim ab isto prisco more omnia habendi communia recessum est, inductusque is, quo nunc vtimur, vt in his rebus, quarum non est tanta copia, vt nunquam absumi omnino possint, ceterae enim, v. c. aqua, communes manere, vt in his, inquam, aliquid, v. c. quod primus quisque occupasset, inuenisset, aut ipsi consensu reli-

reliquorum, distributione terrae alicuius facta, tributum esset, *proprium* cuique esset, ita, vt vnus ipse eo vti, nemo autem alius, sine eius voluntate et permissione, posset, isque *Dominus* rei appellaretur, in cuius ea potestate esset.

129. Hi itaque primi et antiquissimi modi sunt aliquid suum reddendi, primum occupasse et inuenisse, suo labore et arte sua effecisse ac parasse, aut partitione facta, vt in coloniis deductis, accepisse, qui et nunc manent. Et secundus quidem et tertius vbique et semper valent; primus autem conditiones quasdam et cautiones habet. Nam primo, certe constare debet rem eam, quam inuenimus, nullius esse, aut esse certe a domino suo plane desertam; deinde leges ciuiles consuli debent, ac quid de hoc rerum comparandarum modo statuerint, videndum obseruandumque.

130. Sed his rerum parandarum modis mox adiuncti sunt alii, qui nunc inprimis valent. Nam primo, cum natura cuique insitus sit eorum amor, quos ex se genuit, aut qui nobis sunt necessitudine coniuncti, fratres, sorores, ceteri, facile intellectum est, si quis fata sua obiret, quod fuerat eius, his cedere, quos diximus, ita quidem, vt quisque ei sit necessitudine coniunctissimus. Atque quod hoc modo acquirimus, *haereditate* accipimus, vt is *haeres* adeo sit, ad quem, quod mortuus reliquit, per-

uenit. Sed si quis nullam prolem habet, cui sua bona relinquat, ante mortem, quem velit esse haeredem bonorum suorum, constituere potest; quae quidem voluntatis declaratio *testamentum* dicitur, et quae hoc modo ad aliquem perueniunt bona, cum nulla esset necessitudine mortuo coniunctus, ei donata sunt. Est enim hoc quoque genus acquirendae rei, cum nobis *donatur* aliquid, h. e. cum tribuitur, quod nullo iure ab eo postulare atque exigere poteramus, a quo tributum est; quam quidem rem *donum* vel *beneficium* appellamus; non quod nihil beneficii vim habeat praeter donum, sed quod est beneficii genus. Omne enim id beneficii loco recte habetur, quod nobis prodest, et gratis tribuitur, siue pecunia, siue opera.

131. Porro non possumus omnes omnia habere, quae ad vitae necessitatem iucunditatemque pertinent, neque omnes omnia facere, quae quidem habent vim aliquam ad vitam, corpus, valetudinem tuendam. Itaque facile intelligitur, quae nobis desunt, cum opus habemus, esse ab aliis repetenda atque nostra facienda. Eius autem multi, iique iusti et honesti modi sunt. Horum primus idemque antiquissimus est, qui fit *permutatione*, accipiendo quo egeas, et reddendo, quod alter sibi vsui fore e rebus tuis putet, si quidem eo ipse carere queas. Sed cum non semper habeat alter, inprimis,

cui

cui angusta res est, quod pro accepto reddat, quodque gratum huic sit et vtile, a quo petendum ei aliquid est; alter modus rerum acquirendarum, isque multas et magnas commoditatis habens, excogitatus est, qui *emtione* fit et *venditione*, cum scilicet inter duos conuenit, quo pretio, qua pecunia velit alter, *emtor* dicitur, accipere, alter, qui *venditor* est, dare rem quamcunque.

132. Sed vt is modus locum haberet, duo efficienda erant, primo vt de aestimando rerum pretio, deinde de inuenienda re aliqua cogitaretur, quae pecuniae loco adhiberetur, h. e. quae pretium commune esse omnium rerum, aut quae ad omnium rerum pretium metiendum adhiberi posset. Hanc vim tribuerunt prudenti consilio, metallis, atque inprimis his, quae sunt apud quamque, plurimas certe gentes, rarissime obuia, aeri, auro et argento, vt primo non facile detereretur et vsu absumeretur, deinde exigua eius particula, certe non adeo magna, posset pretium plurimarum rerum esse. Ex his moneta, eiusque varia genera facta sunt, vt scilicet omnibus pretiorum gradibus et generibus apta esset moneta. Pretia autem ipsa rerum comparatione inueniuntur et constituuntur, hac quasi lege, vt, quo quaeque sit frequentior et paratu facilior, quoque minus ea carere homines cuiuscumque ordinis possunt, ita ea etiam minoris pretii sit; et quo sit

quaeque rarior, quoque facilius ea carere homines possunt, item quo plus laboris habet, (nam quibus non adeo ad sustentandam vitam opus habemus, fere etiam plus ceteris laboris habent,) eo carior esset et maiori pretio venderetur; itaque etiam plerumque aucto aliquo rei genere, pretium minuitur, imminuta eius copia, augetur.

133. Vltimus rei acquirendae modus labore continetur. Nam qui operam suam alicui collocat, ei aliquam vtilitatem affert; itaque iustum est, vt cui vtilitas labore paritur, etiam huic aliquid commodi tribuat, cuius opera id vtilitatis consecutus est. In eo autem vt aequalitas servari possit, labori constituendum est pretium; quod quidem ex magnitudine commodi metiendum est, quod alterius opera ad nos peruenit, et *merces laboris* dicitur. Mercedis autem magnitudo vel consuetudine constituitur, vel conuentione aliqua inter eum, qui operam suam collocat, et cui collocatur, facta. Nunc quae ex his rei acquirendae modis officia consequantur, breuiter videamus.

134. Primum autem et summum, et sub quo tanquam genere reliqua continentur, est, vt iustitiam in dando et accipiendo seruemus, quae cuique, quod suum est, non modo tribuit, sed etiam tenere sinit, neque aut vi, aut fraude ei quicquam aufert, nec quocunque alio modo ei detri-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0232
DFG

detrimentum rei familiaris affert (§. 37. 97. sq.) aut impedit, quo minus vti suis pro arbitrio possit, nullos denique alios nisi, quos diximus, modos in paranda re sequitur.

135. Quae nostra sunt, soli possumus vti (§. 128.) non tamen, quod plerisque placet, pro arbitrio nostro. Legibus ciuilibus id conceditur, quia nulla magistratuum cura, nulla diligentia tanta esse potest, quae, quomodo quisque vti debeat, constituere, et de singulis, rectene vtantur facultatibus suis, nec ne, decernere possit, adeoque relinqui cuiusque prudentiae et sapientiae debet; nisi quod de his, qui prodigi sunt, aut ratione recte vti non possunt, quomodo versari in re sua debeant, constituit, manifesto indicio, non licere. natura cuique plane pro arbitrio rebus his vti. Lex autem naturae nihil huiusmodi permittit, sed opes atque rem ad suam aliorumque vtilitatum et salutem conferre iubet, atque ita rei familiaris administrationem instituere, vt neque nobis, neque aliis noceamus, sed amorem nostri aliorumque in toto isto genere sequamur, (§. 90. 98.) et omnia officia, de quibus capite primo et secundo dictum est, seruemus; quae qui in ea re respicit, non potest vnquam a vera rei familiaris administratione aberrare. Itaque, qui volet iustus esse in re familiari, omnem intemperantiam, luxuriam, magnificentiam nimiam, igna-

uiam, auaritiam, omne furtum omnemque fraudem fugiet, (§. 70. 74. 78. 88. 97.) et contra ea temperantiam et sobrietatem, frugalitatem, diligentiam, parsimoniam adhibebit. (ll. cc.)

136. Inprimis autem *liberalitatem* vel *beneficientiam* sequetur, in qua maxime iustitiae vis eminet, (§. 37.) et magnitudo animi apparet, (§. 76.) quae vna hominem ceteris animantibus superiorem facit, veramque nobilitatem affert. Liberalitas autem cernitur in tribuendis donis vel beneficiis, (§. 130.) quibus alios aut propter inopiam iuuamus, aut propter merita ornamus. Primum genus in *eroganda* in *pauperes stipe* inest; alterum autem in *praemiis bene* de nobis aut de republica *meritorum*.

137. Hac virtute vt nihil in se est excellentius, ita nihil ad laudem consequendam, ad salutem aliorum, ad amorem omnium conciliandum efficacius. Nam qui ad hoc se natum, ad hoc opibus instructum putat, vt alios iuuet, conseruet, tueatur, ornet, hunc quis non communem patrem ac veluti Deum aliquem arbitratur?

138. Sed in tribuendis accipiendisque beneficiis quaedam cautiones adhibendae, et officia seruanda sunt. Nam qui benefacit, cui, quid, quantum et quo modo animoque tribuat; qui autem afficitur beneficio, quo animo accipiat, et quomodo vtatur beneficio, videre debet.

139. Pri-

139. Primum itaque caveamus, ne beneficia his tribuamus, qui aut non egent aliena ope, (quod quis enim ipse habet, nulla ratio est, cur etiam ab aliis accipiat,) aut certe nihil eiusmodi fecere, quod beneficio dignum esse videatur, aut quos denique certo scimus male esse beneficio vsuros. In quo tamen videndum est, ne indignitatem fictam avaritiae praetexamus, aut inanibus suspicionibus a beneficientia nos absterrere sinamus. Nam qui petenti, verbi causa, stipem, propterea nihil tribuit, quia, dignus sit beneficio nec ne, ignoret, cum nihil ei de indignitate hominis certo constet, non is in tribuendo beneficio cautus, sed in negando cum honestatis specie callidus habendus est. Quin in hominibus, quibus beneficia ad sustentandam vitam tribuuntur, ne vlla quidem indignitatis ratio habenda est, quia his, non qua digni sunt, sed qua eos nolumus fame perire, dantur. Quam ob rem praeclare Diogenes, cum ei esset obiectum, quare homini indigno stipem dedisset: *homini dedi.*

140. Altera cautio est, vt ne maleficii vim habeat, quod ad iuuandum comparatum esse debet, neque plus obsit accipienti, quam prosit, aut saltem inutile sit ei, cui tribuitur. In magnitudine autem beneficiorum et numero, cum eorum, quibus benefit, tum facultatum nostrarum ratio habenda est. Nam quo

quis est aut indigentior, aut dignior beneficiis, eo maioribus pluribusque subleuandus ornandusque est. Qui autem beneficientiam exercet, quo ipse carere non potest, id alteri tribuere non debet (§. 9.) et hunc in benefaciendo seruare modum, ne effusa sit liberalitas, et quae, quia facultatibus maior est, ipsum liberalitatis fontem exhauriat et quasi exsiccet. Nam ea non liberalitas, sed ambitiosa potius et leuis bonorum profusio dicenda est, quae in vitio merito habetur. (§. 87.)

141. Nihil etiam ambitioni in benefaciendo tribuendum est, neque propriae vtilitatis caussa benefici esse debemus. Nam qui gloriam aut vtilitatem in hoc genere sequuntur, sui caussa liberales sunt, neque benefici, sed laudis potius vtilitatisque studiosi sunt habendi, cum tamen beneficia ad aliorum, non ad nostra commoda comparata esse debeant. Itaque etiam clanculum beneficia tribuenda sunt, si quidem inopiae tribuuntur; nam cum beneficia virtutis ornamenta esse debent et incitamenta quaedam, ita sunt praestanda, vt ad aliorum etiam notitiam perveniant.

142. Prompte denique, cito et cum hilaritate bene facere debemus. Nam cum beneficia amoris esse signa debeant, qui, cum verus est, nihil morae habet, nihil tristitiae; qui aut tarde saepiusque rogati, aut aegre beneficium dant, non

tam

tam amore ducti, quam odio rogantis aut alia cauſſa victi beneficium tribuunt, neque adeo vllam ab eo gratiam inire poſſunt, in quem beneficium contulerunt.

143. Accipientis autem vnum officium, in grato animo poſitum eſt, cuius haec vis eſt, vt eum amemus, qui nobis benefecit, et gratum nobis fuiſſe iucundumque beneficium oſtendamus (Pſych. §. 71.): quod qui non facit, ab honeſtate et iuſtitia recedit. Neque tamen poenitere eum beneficii debet, qui apud ingratum ſe collocaſſe intelligit, aut ei iraſci et exprobrare praeſtitum beneficium, quia in beneficio non tam accipientis animus, quam benefacientis ſpectatur. Itaque ne mentio quidem praeſtiti beneficii apud eum facienda eſt, cui tributum eſt, quia iſta commemoratio eſt quaſi exprobratio immemoris beneficii. Vtendi autem beneficii nullum magnopere eſt officium ab his diuerſum, quae capite primo de re familiari vtenda tradita ſunt.

144. In beneficiis autem rogandis tenendum eſt, primo, vt, quod petimus, eo egeamus, aut dignos nos reddiderimus; deinde modeſtiam in rogando ſeruemus, neque aut vehementius aut ſaepius beneficia flagitemus, neque his iraſcamur, a quibus repulſam tulimus.

145. Teſtamenta quoque multas cautiones habent, ſed cum beneficiis plerasque communes.

Nam post liberos, qui nobis omnium carissimi sunt, adeoque omnium maxime iuuandi, tuendi, ornandique sunt, vt quisque nobis est coniunctior necessitudine, quia haec etiam ad animorum coniunctionem valere debet, ita magis est eius in testamento ratio habenda: nisi quidem aut indignus beneficio sit, aut constet male eum esse beneficio vsurum. Inter ipsos autem liberos et necessarios videndum, quis sit ceteris beneficio dignior, quis propter paupertatem aut alias rationes pluribus indigeat; quod quidem multo magis in his valet, qui nulla nos cognatione attingunt. Sed hoc inprimis cauendum est, ne in heredum institutione odio quicquam tribuamus, aut amori coeco, et ab honestate remoto, et aut dignos ab hereditate excludamus, aut nihil de nobis meritis, nihilque peculiaris virtutis habentibus nimium tribuamus.

146. Quemadmodum autem omne lucri studium a iustitia remotum fugiendum est, ita nec fas erit, testamenta falsa et conficta aut corrupta ad hereditates consequendas adhibere, quod, qui faciunt, *testamentorum subiectores* dicuntur; neque honestum erit simulata amicitia, malitiosis officiis, assentationibus, captare hereditates, atque vt heres scribare, efficere, aut quocunque fraudis genere in testamentum irrepere, atque ita auferre, quod aliis debebatur.

147. Nus-

147. Nusquam fere plus loci fraudibus et dolis iniustitiaeque adeo est, ac in permutandis rebus, emendis et vendendis. Itaque honestus et iustus vir inprimis in his rebus cautus erit, ne iustitiam laedat, et contra officium faciat. Permutationes, emtiones et venditiones sunt conuentionum genera, quibus constituitur vtrique pacisentium, quid alter alteri dare, et eius loco sibi dari velit. (§. 131.) Sed in his conuentionibus semper illud sumitur et quasi fundamenti loco habetur, vt sit inter id, quod datur, et quod accipitur, aequalitas pretii, vt, si pretium rerum permutandarum communi pretii mensura pecunia exprimeretur, eadem vtrique rei et datae et acceptae pecuniae summa constituenda sit. Quamobrem, si quis sciens et volens in permutatione, aut in emtione et venditione plus accipit, quam dat, is iniuste facit, et alterum decipit. Honesti iustique studiosus itaque nunquam plus sibi dari, ac ipse dat, patietur, a volente etiam, si intelligat, eum, quocum sibi res est, ignorare verum rei pretium, aut esse pecuniae negligentiorem. Neque vitia rei vendendae iustus vir emtorem temere celabit, multo autem minus orationis vanitatem adhibebit, et merces laudando plus nimium ad male emendum quemquam inducet; ne in pretio quidem statuendo insaniet. Cauebit etiam sibi ab eorum

rum malitia, qui emturis licitatores apponunt, qui contra eos liceantur, vt eo carius vendant.

148. In pecunia autem vt accipienda, ita danda, cautio adhibenda est, ne adulterina moneta sit, et, si constet nobis, quos habemus numos non esse eius valoris, cuius esse debent, nemini pro genuinis dandi sunt; quia qui adulterinos numos dedit, nullos dedisse censendus est, ac fraudis reus merito habetur, (§. 97.)

149. Porro qui aliquid se certo pretio redemturos pacti sunt, quia seruandum omne pactum est, non debent primo, nisi volente et consentiente eo, quocum contractum est, rem ei relinquere (§. 122.); deinde pecuniam eo, quo conuenit inter eos, tempore soluere. (l. c.)

150. Illud etiam cauebit vir iustus, ne sit in emendo acerbus, h. e. ne minori pretio res sibi vendi velit, ac potest sine vendentis detrimento fieri, ac propterea rem emendam extenuet verbis, et deprimat; quod quidem multi, lucri cupidi, facere solent, cum vident eos aliqua necessitate vrgeri, ac pecunia ipsis opus esse, quibuscum res est. Optimum erit, venditorem semel indicare, emtorem non plus, quam semel, eloqui.

151. Quoniam autem merces nihil est, nisi laboris pretium, de quo inter eum, cui aliquid locatur faciendum, et qui locat conuenit (§. 127.) eadem fere in labore faciendo et merce-

mercede danda, quae in permutatione et emtione ac venditione tenenda sunt; nempe vt, qui operam suam alicui collocauit, quantum potest et promisit, faciat, qui autem mercedem promisit, promte eam, et, quo dictum est, tempore soluat, nihil procrastinans, nihil fictis caussis detrahens.

152. Iam si quis in horum generum aliquo iniuste egit, et cuiquam aliquid aut vi, fraude et dolo abstulit, aut quod dare debebat, non dedit, non dubium est, quin eius rei familiari damnum intulerit. Quare cum, quod illatum alicui damnum est, praestari debeat, (§. 108.) etiam, quod ablatum quocunque modo aut retentum est, reddi debet. In quo quidem nulla est temporis ad tollendum reddendi officium vis. Quae enim iniuste nobis ablata sunt aut retenta, eorum aeterna auctoritas manet, et quae iniuste abstulimus aut retinuimus, ea nunquam nostra fiunt.

153. Cum rerum nostrarum ad alios dominos translatione proxime coniuncta est rei ad vsum concessio; quae quidem maxime consentanea est amori, quem omnibus debemus, et iuuandi alios studio, in quo honestatis et virtutis vis maxime apparet. Hic non postremus est societatis humanae fructus habendus, quod, cum non possint omnia ipsi comparare, et habere ad vitae vsum necessaria, inprimis quibus

est

est paullo angustior res, ab aliis accipere ad tempus possis, quo et quam diu opus habes, vt etiam, quod non habes, id ipsum, si vsum et rem spectes, habere videare. Quare si quis quid rogatur, vt ad vsum concedat, et ipse eo aliquandiu potest sine detrimento suo carere, neque res ipsa vsu diminuitur et consumitur, iustum erit eam roganti permittere; accipientis autem ad vsum erit, eam reddere ita, vti accepit, et eo, quo promisit, tempore.

154. Sed concedendae ad vsum rei duo genera sunt, alterum, quod est ab omni commodi studio a concedentis parte vacuum, alterum vero, quod aliquid commodi ei affert, qui utendum dat. Qui alteri aliquid vtendum dat, hac conditione, vt aut non genere tantum, sed numero etiam, aut tantum genere idem reddat, is *commodare* ei aut *mutuum dare* dicitur; qui autem ita aliquid, inprimisque pecuniam, tribuit, vt praeter ipsam rem, pecuniaeque summam, aliquid accipiat, *foenori dare* aut *in foenore ponere* pecuniam dicitur; nam id ipsum, quod pecuniae commodatae adiicitur, *foenus*, item quia quasi cumulus quidam accedit, *impendium*, et quia propter vsum tribuitur, *vsuram* dicunt: ipsam autem foenori sumtam pecuniam *sortem*; qui dat foenori aut mutuo, *creditorem*, qui autem accipit, *debitorem*, item *nomen*,

nomen; vnde creditor *nomina facere*, debitor autem *locare* dicitur.

155. Hic prima quaestio est, quid foenori, quid mutuo dandum sit; qua expedita, multae aliae facile possunt solui. Id vt fieri possit, intelligendum illud est; si qua res commodata fuit, efficiendum esse, vt, recepta re, non sentiat, qui dederat, se commodasse, sed aeque sit ac si semper secum eam habuisset; id enim si factum erit, tum demum, ei redditum suum esse, dici poterit. Ex quo intelligitur, si qua res sit eiusmodi, qua facile carere dominus ac sine detrimento vllo rei familiaris possit, quae, dum apud alium est, non minuitur ac deterior efficitur vsu, neque, si apud dominum mansisset, quicquam ei commodi allatura fuisset, aut ei, cui commodatur, nullam magnopere vtilitatem affert, eam mutuam dandam esse: sin contra, foenoris aliquid capi ex commodata re recte posse.

156. Foenus autem aequum sit, quod a sumente postulatur. Aequum autem erit tum, cum minus erit commodo, quod ex sorte capit aut capere potest debitor, ne labor eius, quem lucro ex sorte capiendo adhibet, pereat. In ipso autem foenore exigendo non erit vir honestus nimis acerbus, praesertim si nulla sit in debitore culpa. Neque tamen propterea non sunt monendi de soluenda et sorte et vsura debito-

bitores. Nam optima etiam nomina non appellando fieri possunt mala. Quanto magis igitur haec licebit, quae nouimus lenta et negligentia esse?

157. Debitoris summum officium est, quod ab alio vtendum accepit, eo, quo conuenit inter ipsum et creditorem tempore, omnibusque iis conditionibus reddere, quae sumenti propositae fuerunt et ab ipso probatae, in eoque omnem fraudem et dolum fugere; ne quicquam creditori damni afferatur, quod et per se iniustum, et in hoc genere etiam ingrati animi est, quo nil turpius esse potest.

158. Sed quoniam sua cuique res tuenda et conseruanda est, (§. 87.) in commodando videre debemus, vt ne ab hominibus callidis, fraudulentis decipiamur, ac sortem cum foenore perdamus. Itaque nisi plane cognitam habeamus ac perspectam eius fidem, cui commodare aliquid volumus, opera danda est, vt securi de recipienda re nostra simus. Id tribus modis efficitur, *obligatione literarum, fiducia, sponsione*. Primus, qui in omni debiti genere adhibetur, est, cum literis scriptis profitetur, qui rem sumsit, quid, et quantum, et a quo sibi datum sit, et quando, cum foenore sortem aut rem commodatam reddere velit. Sed hoc genus non eam, quam reliqua duo ad securitatem vim habet. *Fiduciae* autem duo genera sunt, alte-

alterum, cum res eius fere, aut maioris etiam pretii, ac commodata est, datur creditori, vt, si soluendo non sit debitor, retineat, sin soluat debita, reddat; quae quidem res *pignus* dicitur: alterum est, cum res aliqua, velut domus, agri, horti, obligantur literis priuatis publicisue debitori, vt, si fallat debitor fidem, ex iis venditis reddi ei sors cum foenore possit; cuius quidem generis rem obligatam *hypothecam*, latini et ipsum pignus appellant. *Sponsionis* denique haec vis est, vt, si debitor, quod obliget aut pignori det, non habet, *spondere* aliquo *aut praede* adhibito nomen locet, hoc est, qui aut aliquid ex suis obliget, aut pro eo promittat, se, si fidem fefellerit debitor, *satisdaturum*, h. e. quod is debeat, soluturum esse, ac damnum creditori praestiturum.

159. Qui pignus accipit, primum videre debet, vt ne sit minoris pretii, ac quod commodauit, vt, si soluendo non sit debitor, nihil detrimenti capiat; deinde, vt bene custodiat, quia, si ipsius culpa amittitur, damnum domino praestare debet; denique, vt, reddito debito, et ipse pignus reddat. In sponsione cauere creditor debet, ne et ipsius sponsoris tuta fides non sit, debitor autem ne huiusmodi praedem offerre quidem. Nam qui, vt recte Phaedrus, nomen locat spondere improbo, aut qui ipse, quod soluat, non habet, non is rem no-

menque expedire, sed decipere creditorem cupit.

160. Si debitor soluendo non est, facile intelligitur, praedem pro eo soluere debita debere. Quamobrem qui, pro aliquo vt spondeant, rogantur, magnopere debent considerare, tutone possint id facere, nec ne? Ac quia magna est in multis hominibus perfidia, non facile debet praes quisquam fieri.

161. Conceduntur aliis etiam praedia, aedes, fundi, horti et alia huius generis, vt fructus capiant, qui ex iis capi possunt, idque pretio certo, de quo inter dominum et eum, cui conceduntur, conuenit. Qui id facit dominus, eas res dicitur *locare*, qui autem fruendas accipit, *conducere*. Iam quae sint in locando conducendoque officia, ex superioribus intelligi potest. Scilicet, si debet res quaeque ita ad dominum redire, vt non secus sit, ac si ea ne caruerit quidem (§. 155.) efficitur, vt conductor ex fructu tantum fere tribuat domino, quantum ad ipsum erat, demtis sumtibus et laboris impendendi pretio, rediturum. Quod si res locata est eiusmodi, vt necessitate quadam diminuat eam vsus, ad eam, quam dixi, vsuram accedere debet, quo damnum illud praestetur, quod vsu illatum est. Itaque etiam in locandis aedibus plus solent vsurae loco, ac in agris v. c. postulare, quia ager semper idem manere potest,

aedes

aedes autem vsu deteriores redduntur, ac sensim propter vetustatem collabuntur; vt adeo faciendum sit, vt ipsa fors ad dominos ante redeat, quam collabantur, aut diruendae sint.

162. Conductoris autem est, quantum potest, operam dare, vt res ita redeat ad dominum, vt ab eo discessit, ac, si potest res sine vllo detrimento haberi atque vsurpari, nihil omittere, quod ad seruandam rei bonitatem ac integritatem pertineat, ne domino damnum inferat, quod est a iustitia alienum. Si quid autem erit sua culpa aut ita corruptum, vt potuisset caueri, damnum domino praestabit; sin fortunae quodam casu aliquid res damni aut vitii ceperit, qui quidem etiam euenturus fuisset, si ipse dominus rem tenuisset, non erit, cur praestet. Denique vsuram, quam promisit, recto tempore, sine tergiuersatione et fraude dabit. Sed vt eo minus caussa sit conductori, rem fundum v. c. cum detrimento habendi, atque eo ita fruendi, vt ei ex fertilitate sua aliquid decedat; in locando et vsura constituenda omnem acerbitatem fugere domini debent.

163. Si autem reddendum est cuique sine detrimento id, quod vtendum nobis permisit; quanto magis iustum erit, id reddere, quod apud nos *depositum* ad custodiam est, ea ipsa conditione, vt, si, qui deposuit, reposcat, sine tergiuersatione reddatur. Sed dum est apud

aliquem depositum, operam dare debet, ne sua culpa aut amittatur, aut corrumpatur; quod si commiserit, damnum praestare debet: sin sine vlla culpa id fiat, aut eo, quo diximus de rebus conductis, modo, non poterit damni compensatio ab eo postulari.

164. Inter pacta pertinent etiam *mandatum*, *tutela*, *societas* et *fiducia*. *Mandatum* dicitur, quod alicui gerendum, curandum, efficiendum traditur, et ab eo etiam suscipitur. Nam cum multa accidant eiusmodi, quae non possunt a quoque aut propter ignorantiam aut imbecillitatem geri et curari, vicaria opera aliorum vtendum est. Quare si quis aut mandatum recipit, aut etiam se suscipiendo oneri offert; neque tamen aut ipse potest propter ignorantiam et imbecillitatem sustinere, aut, si potest, propter negligentiam et ignauiam, non vult, aut denique sui commodi et quaestus studio non sustinet, sed aliquid malitiose facit, et eum, a quo fidelis habitus est, fallit et decipit, fidem violat, et iustitiam laedit. (§. 97.) Sed quoniam, qui id facit, damnum ei infert, cuius mandatum suscepit, illud ipsum praestare debet.

165. *Tutela* est, cum, qui se ipse defendere, et rem suam administrare propter aetatis imbecillitatem non potest, *pupillum* vocant, hunc defendere, huius res omnes curare suscipimus, siue id sponte fiat, siue iussu superioris. Quod genus

genus pacti, cum eandem fere vim, quam mandatum, habeat, et qui tutelam alicuius gerit, eius personam sustinet, omnia ea facere debet, quae, si se ipse et res suas defenderet, curaret, facturus esset, donec suae tutelae pupillus fiat, ac ex ipsius adeo tutela exeat. Itaque nihil per negligentiam, nihil per fraudem et malitiam damnum pupillo afferre tutor, aut praestare damnum debet. (§. c. 100.)

166. *Societas* autem est eorum, qui se in *negotio* coniunxerunt, hoc est, inter quos conuenit, se iunctis viribus alicui rei efficiendae et alicui commodi generi parando operam dare, et aut aequalibus, aut ratis portionibus partiri inter se commoda velle: et *aequalibus* quidem *portionibus*, si singula societatis membra idem ad lucrum faciendum conferant; *ratis* autem, si alius alio plus afferat. Huius pacti haec vis esse debet, primo vt omnia societatis membra eandem diligentiam et curam, tantam certe quodque, quantam potest, adhibeat; deinde vt commune commodum omnia quaerant, nihil ad suam vtilitatem referant, aut, quod est commune omnium, sibi vindicent, verbo, omnem fraudem fugiant.

167. *Fiducia* denique, de qua quidem hic sermo esse debet, est pacti genus, quo alter alteri aliquid, sed hac conditione vendit, vt, reddito pretio, et ipsam rem venditam reddat; a

quo pacti genere *emtores fiduciarii* appellantur. Haec venditio ex eo nomen accepit, quod, qui ita vendit rem, confidit, ſiue eam in mentis aequitate fiduciam habet, vt non dubitet, quin ſibi ſit rem hoc modo venditam redditurus. Quare, qui ita aliquid emit, debet non modo rem, reddito pretio, reddere, vt pacti vis obtineat, ſed etiam, ne bene de ſe ſperantem deſtituat. Quid enim turpius poteſt eſſe, quam aliquem propterea falli ac decipi, quia cum fideli homine ſibi rem eſſe putauit.

CAP. VI.

De Decori ſtudio et Humanitatis officiis.

168.

DEcorum (§. 40.) diximus eſſe in venuſtate quadam et pulchritudine omnium actionum noſtrarum poſitum, quae iucundos nos his reddat, quibuscum ſumus. Quare quicquid in actionibus noſtris eiusmodi erit, vt aut, quia natura pulchrum eſt, aut, quia venuſtum putatur, gratos nos aliis efficiat, id omne decorum habebimus, atque diligenter in agendo ſequemur; quod autem hanc vim non habet, ſed moleſtiam aliis quamcunque affert, id tanquam indecorum fugiemus.

169. Ac primo quidem fugienda eſt Cynicorum impudentia, qui omnia naturae opera, omnes

omnes sordium excretiones, palam susciebant, quae, quia aut foetore narium, aut colore aliaue proprietate oculorum sensum offendunt, aut etiam prauas et libidinosas cogitationes concitare possunt, obscoenae habentur, et non possunt non et debent molestae aliis esse. Eandem ob caussam etiam omnes sordes a corpore, ore inprimis, abesse debent, inprimis cum etiam ipsi corpori multis modis nocere possint.

170. Natura cum omnia animantia ita finxerit, vt ad terram pronum vultum habeant, vnius hominis os ad coelum erexit. Itaque decorum habetur in incessu minime habere defixum in terra vultum, sed erectum atque sublimem. Neque tamen ita resupinandum caput est, vt, quod est ante pedes cerni nequeat.

171. In statu porro, sessione, incessu, omnique corporis situ et motu omne id vitandum est, quod aut cadendi periculum afferre, aut, quia animi leuitatem, aut aliud vitium indicare creditur, indecorum videri potest. Quare nimia et meretricia oculorum mobilitas, obtutus diuturnior, euersae ceruices, incessus et nimis tardus et nimis citus, fractus etiam et mollis, cetera vitanda sunt, quae aliquid deformitatis corpori humano afferunt, non solum animum produnt. Et quoniam consuetudo certis corporis sitibus flexibusque aliquam vim tribuit significandae reuerentiae aut contemtionis, de-

corum erit, in his quoque conſuetudinem ſequi. In toto autem hoc decori genere, quod corporis motui et ſitui ineſt, peccant, qui dum vbique gratias quasdam et veneres venantur, nimiumque ſtudent elegantes et venuſti videri, affectatum quendam, nihilque neque grauitatis habentem, neque verae venuſtatis, inceſſum et ſtatum accubitumque aſſumunt.

172. Inprimis etiam in veſtitu decorum cernitur; qui quidem decorus habebitur, ſi erit mundus, non lacerus, conditioni cuiusque accommodatus, et ciuitatis cuiusque moribus et conſuetudini conſentiens. Minime autem decet in hoc etiam genere nimiam elegantiam et concinnitatem affectare, quae his inprimis, qui non ſibi ſed aliis ornantur, ſolemnis eſt. Merito etiam reprehenditur cincinnatorum et calamiſtratorum, item foeminarum vanitas, qui formam malis rebus interpolare ſolent, ex capſula colorem et pulchritudinem petere, partes corporis nudare, quae aſpectu irritare libidinem hominum poſſunt. Aetatum etiam in veſtitu habenda eſt ratio. Nam aliter pueri et adoleſcentes ac virgines, aliter viri et uxores, aliter ſenes veſtiri debent, vt, quemadmodum hae aetates grauitate et corporis colore, ita etiam veſtitu diſcrepent.

173. Edendi quoque et bibendi ratio aliquid et venuſtatis et deformitatis habere poteſt.

Ac

Ac primum quidem omne id deforme minimeque decorum in edendo habetur, quo laedi conuictorum oculi, et stomachis eorum nausea concitari potest. Itaque maxima munditia adhibenda est, neque manibus contrectandi, quantum quidem fieri potest, cibi sunt, neque dentibus, sed cultro, discerpendae carnes, aut ossa in manus sumta dentibus, canino more, rodenda. Fugienda est etiam voracitas et in edendo bibendoque auiditas et immodestia, quae merito indecora et turpis habetur.

174. Per omnem denique sermonem decorum funditur et vagatur. Nam quoniam sermo animi index est, omnis sermo indecorus est, qui vitia animi, libidinem, superbiam, immodestiam, impietatem, cetera, arguit; decorus autem, ex quo sapiens et honestatis amans animus elucet. Itaque omnis iactantia in dicendo et arrogantia ingenii et sapientia, rerumque a se gestarum praedicatio, qua nihil odiosius esse potest, in sententia dicenda, iudicio ferendo temeritas, et defendendis semel susceptis opinionibus pertinacia, prudentibus molestissima, interpellandique impudentia fugienda est, et modestia potius adhibenda, quae raro ac parce de se loquitur, laudem ingenii et sapientiae sibi detrahit, et aliis, hisque inprimis, qui eam sibi arrogant, tribuit, rationibus perspicuis cedit, non facile in rebus obscuris decernit, nihil au-

ctoritati ſuae tributum cupit. Cauendum porro eſt, ne aliorum laudibus et meritis aut aperte aut falſis et aculeatis dicteriis detrahamus, aut alios ridiculos faciamus, ſed, ſi quid etiam perperam ab ipſis factum eſt, excuſemus. Nam ſi neminem etiam aſſentientem inuenias, modeſtiae tamen bonique viri laudem conſequere.

175. Maxime autem indecora habetur *garrulitas* et omnis ſermo *ineptus*, qui fit alieno loco et tempore, de rebus inanibus et leuibus, perſonis, quibuscum es, non accommadatus, multusque ac nimius. Nam leuitatem animi, vanitatem ac inconſiderantiam indicat, quae hominem minime decent.

176. Seruiendum eſt etiam conſuetudini, quae verbis quibusdam turpitudinem aliquam tribuit, cum alia eandem rem ſignificantia honeſte adhiberi poſſint. v. Cic. Epiſt. Fam. L. IX. ep. 22. In quo quidem genere, qui opinionem hominum ſequitur, verecundus habetur. Sed optime faciunt, qui plane ab his ſermonibus abſtinent, qui in rebus turpibus verſantur; ſin neceſſitas aliqua incidat eiusmodi rem nominandi, decorum erit, honorem praefari.

177. Sed vt corpus in exhibendis honoribus, ita ſermo etiam conſuetudini et opinioni hominum accommodari debet, ne aut ſuperbi aut ruſtici videamur; quanquam illa *ruſticitas* latius patet, ac omni ſermonis generi ineſt, quod ſtupidi-

piditatem quandam, aut inscitiam aut impuritatem habet. Magnam autem habet ad conciliandos nobis homines vim, commode posse ac venuste amoris, beneuolentiae, reuerentiae significationem verbis dare, ac in omnibus id dicere, quod auribus venustati sentiendae adsuetis voluptatem afferat. In quo quidem genere, qui literis operam dant ex Graecorum et Latinorum veterum Epistolis, ex Comoediis etiam multum, si attenderint animum, proficere poterunt. Quid enim, vt hoc vtar, suauius illo est apud Terentium: Gratum est, non tam per se, quam quod abs te datum est. Aut quem non delectent Terentianus Pamphilus et Terentiana Bacchis:

O Bacchis, o mea Bacchis, seruatrix mea!
B. Benefactum et volup'est. P. factis, vt credam facis;
Antiquamque adeo tuam venustatem obtines,
Vt voluptati obitus, sermo, aduentus tuus, quocunque aduenerit,
Semper siet. B. et tu ecastor morem antiquum atque ingenium obtines,
Vt vnus omnium homo te vivat nusquam quisquam blandior.

178. Inprimis autem decora est *vrbanitas*, quae in ludis, iocis, salibus et facetiis cernitur, quae omnia sunt ad risum et delectationem mouendam comparata. Ac vt ludus in factis, sic

ſic iocus et facetiae in verbis inſunt. Duo autem horum genera ſunt, alterum effuſum et immodeſtum, contumelioſum, petulans et obſcoenum, flagitioſumque: alterum parcum, modeſtum, caſtum et liberale ingenioſumque. Superiori itaque genere indecorum erit vti, poſteriori decorum et ſuaue. Illud enim honeſto repugnat, et grauitatem boni viri ſeueritatemque laedit; alterum exhilarat animum et ſermonum omnium quoddam quaſi condimentum et ornamentum eſt. Sed inprimis cauendum eſt, ne ioci et ludi alieno loco et tempore fiant, in rebus ſeriis, apud homines graues et dignitate multum ſuperiores, ne inepti, minimeque faceti videamur. Videndum etiam eſt, ne his ſales iocosque adhibeamus, qui eos ferre propter ſuperbiam aut ſeueritatem non poſſunt, neue videamur illudere his velle quibuscum iocamur, ne nobis accidat, quod multis eueniſſe legimus, qui, dum ingenioſi et acuti facetique eſſe nimis voluerunt, odia ſibi contraxerunt, et magnum ſibi damnum attulerunt. In audiendis etiam iocis modeſtia adhibenda eſt, ne, eos nimio et effuſo riſu ac cachinno proſequamur, qui leuitatem animi indicat, minimeque decorus eſt.

179. Huc pertinet etiam ea virtus conſuetudinis, quae *humanitas* dicitur, quia nihil magis hominem decet, et eſt in modo poſita, quo cum

cum aliis agimus et loquimur, qui quidem eiusmodi esse debet, vt grati eis simus atque iucundi. Facillime autem humanitatem seruabimus, si in omnibus actionibus et sermonibus, quid nobis gratum foret, cogitabimus. Itaque humanus apud tristes tristis, seueros seuerus, laetos laetus erit, omnibus aetatibus aptus vt sit, operam dabit, omnes perferet ac patietur, neque ex sua libidine ac more omnes omnia vt agant, desiderabit, quibuscum erit, his se dedet, eorum studiis obsequetur, nemini se praeponet, nemini aduersus erit, non alieno loco verum dicet, facilis erit adfatu, copiam sui facile dabit, rugas omnes ponet et remittet frontem, si cum aliis erit, totoque vultu hilaritatem praeferet.

CAP. VII.
De Coniugio et Familia.

180.

POstquam officia exposita sunt, quae sibi quisque et aliis, quibuscum viuit, quique sibi quocunque modo societate aliqua iuncti sunt, debet, nunc etiam, quid his debeamus, ostendendum est, quibuscum paullo arctioris societatis vinculo coniuncti sumus. Initium faciamus a *coniugio*, quod est societas a mare et foemina inita ad procreandam et educandam non modo subolem, sed vitam etiam commodius faci-

faciliusque transigendam. Duplici itaque consilio coniugia ineuntur, primo, vt suboles procreetur et educetur; secundo, vt coniuges mutuo auxilio iuuentur.

181. Haec societas quin sit naturae conueniens, dubitari non potest. (§. 12. 13.) Itaque, si quis habebit integra et valentia membra, quae ad procreandam subolem pertinent, ea aetate, quae huic rei apta est, iisque instructus adiumentis, quae ad uxorem liberosque et alendos et educandos pertinent, neque vlla grauiori caussa impedietur, si naturam ducem sequi volet, matrimonium inibit, vt non modo aliquid ad genus humanum conseruandum et iuuandum afferat, sed etiam facilius vitae humanae miserias tolerare possit. Qui autem aut natura aut casu aliquo aduerso, aut quamcunque ob caussam, suboli procreandae inhabilis est, aut intelligit, sibi non esse, vnde vxor aut liberi viuant, coniugio recte abstinebit.

182. Facile autem intelligitur, quoniam coitus ad procreandam subolem comparatus est, vehementer falli, qui hanc putant esse coniugii ineundi caussam, vt voluptas venerea expleatur, cuius cupiditate flagramus natura; non quo ea per se expetenda sit, sed vt eo fortioribus stimulis ad ineundum coniugium et procreandos liberos compellamur: quemadmodum, quod natura eius voluptatis percipiendae cupidi sumus,

mus, qui ex cibo deguſtato capitur, non eo valet, vt propter ipſam illam voluptatem ſumamus cibum, ſed vt eo libentius de comparando cibo ſolliciti ſimus, eoque ad corpus confirmandum et tuendum vtamur. Ex quo illud etiam efficitur, vt minime ſit naturae conſentaneum, extra coniugium cum foeminis rem habere, quia vno hoc conſilio id fit, vt voluptas ex eo capiatur; quod qui faciunt, *ſcortari* dicuntur. Multo itaque minus licebit, ſui ſexus hominibus aut animalibus brutis ad libidinem explendam turpiter abuti, aut quicquam in eo genere facere, in quo praeter voluptatem veneream nihil ſpectetur.

183. Qui cupiditate vehementi flagrant fruendae voluptatis venereae, *libidinoſi* dicuntur; qui autem naturalem cupiditatem illam ita temperant, vt ad naturae conſilium referatur, hoc eſt, vt ad procreandam in coniugio ſubolem adhibeatur, *caſti* dicuntur. Impura illa libido itaque in vitio eſt, caſtitas autem in virtutibus merito habetur, inprimis cum illa effrenis et immoderata voluptatis venereae expletio magnam habeat vim ad corpus animumque corrumpendum, effoeminandum, debilitandum, caſtitas autem ad roborandum et conſeruandum.

184. Si quis autem habuit cum foemina coelibe rem, et ex compreſſione proles nata eſt, non ad prolem modo alendam et educandam con-

conferre suum debet, aut solus etiam omnes necessitates praebere, si, quod det, foemina non habet; verum etiam ducere vxorem ipsam foeminam, si quidem alio modo fieri, vt proles alatur, nequit. Et quoniam ea ipsa res foeminae magnum detrimentum affert, omnia facere debet, vt damnum praestetur, inprimis, si eam ad patiendum promissis, blanditiis, fraudibus induxit, aut vi coegit, quo nihil foedius esse et iniustius potest.

185. Sed vt ad coniugium redeamus, in coniugis electione habenda est ratio non tam dignitatis aut diuitiarum, quam virtutum. Opulenta matrimonia ornarunt interdum et florentissimas reddiderunt domos, sed saepissime eas etiam perdiderunt. Et qui diuitias solum in matrimonio spectant, turpem mercatum faciunt coniugium, quod esse ad felicitatem comparatum debet, in qua diuitiarum nulla vis est. Virtutes autem foemineae sunt, quae ad obtinendum coniugii finem aliquam vim habent. Itaque sano et valenti corpore sit, laboriosa, non magnifica, non prodiga, non libidinosa, non auara, iis mentis ac animi virtutibus ornata, vt liberos sapienter ac liberaliter educare possit, nec aegritudines coniugi moueat. Sed quod in foemina vir, idem in viro foemina spectare debet.

212. Vna

186. Vna autem vir vxore, et vno viro vxor esse contenta debet. Nam si aut plures vxores habere viro, aut plures viros vxori liceret, vt nunc res humanae sunt, id multum incommodi esset habiturum, et ad ipsum coniugium et ad rempublicam. Multo minus itaque licebit marito cum alia foemina, aut uxori cum alio viro, praeter maritum, rem habere; quod qui facit, *adulterii* ruptique coniugii reus habetur. Nam, vbi fiunt coniugia, coniuges sibi promittunt, nulli alii se corporum suorum copiam facturos. Itaque qui aliter faciunt, laedunt fidem, et societatis conditiones violant, quae sacrosanctae esse debent.

187. Cum autem educanda suboles sit, et coniuges mutuo se iuuare debeant, (§. 180.) neque maritus uxorem, neque uxor maritum deserere debet. Nam si id fecerit aut maritus aut uxor, neque inuitata etiam redire voluerit, rupta est societas, et sublata initae societatis conditio.

188. Ex his autem quando *diuortium* faciendum, hoc est coniugii societas tollenda sit, intelligi potest. Nam quoniam laesis societatis conditionibus, laeditur ac tollitur adeo ipsa societas, nisi ipsi socii ferre eam iniuriam aequo animo velint; efficitur, vt adulterium et malitiosa

tiosa desertio, et si qua res praeter has duas alia eiusmodi est, vt omnem matrimonii vim tollat, ad diuortium faciendum valere debeant. Si autem nihil huiusmodi in coniugio accidit, vsque ad mortem durare et consistere debet. Nam si quacunque de caussa liceret coniugii societatem tollere, quid tandem de coniugio, his inprimis moribus, futurum esset? quid de innocentissimis et maritis et vxoribus saepissime nulla culpa sua desertis futurum? quid de liberis, qui rarissime plenam et absolutam educandi curam experturi essent?

189. Cumprimum inter virum et foeminam conuenit de matrimonio ineundo, atque adeo foemina viro *desponsata* est, unde et *sponsa*, vt vir *sponsus*, dicitur, altera pars alteri obstricta est ita, vt non possit alius coniux fieri (§. 102. 180.); nisi quidem vtriusque consensione conuenta irrita habeantur. In quo tamen cautiones quaedam adhibendae sunt. Nam cum omne promissum nullam vim habeat, quod est minis aut vi expressum, aut blanditiis et fraudibus extortum (§. 121.) idem in hoc despondendi promisso valeat, necesse est. Deinde quoniam incredibilis est multorum hominum vanitas et leuitas, inprimis, qui in eligendis coniugibus non honestas aut rectas caussas sequuntur, aut paullo inconsideratius in toto isto negotio versantur,

santur, maximopere verendum est, ne res grauissima atque sanctissima hominum leuium ludus tandem iocusque fiat, si licitum hoc putetur, vt, inter quos de ineundo coniugio conuenit, de quacunque caussa possint consensu mutuo conuenta irrita reddere. Itaque consensus mutuus, tum modo vim aliquam habet, cum grauibus caussis munitur.

196. Ducta domum vxore, plenum demum est, et suis modis absolutum matrimonium. Eius, quae sint officia praeter ea, de quibus iam dictum est, ex scopo eius intelligi potest. Qui cum duplex sit, alter ad procreationem et educationem subolis, alter ad mutuum auxilium pertinens, facile apparet, quod ad alterum illum attinet, coniuges ea facere debere, primum, quae ad liberos creandos pertinent; deinde, quae aliquam vim habent ad eos alendos, et ita formandos instituendosque, vt quaecunque homini ad honeste beateque transigendam vitam adiumenta necessaria sunt, v. c. artes cum illiberales, et manuariae, tum liberales, doctrina, prudentia, virtus, his liberi, quantum fieri potest, instruantur; porro operam parentibus dandam esse, vt liberis relinquant aliquid de suo, quo quidem ipsi carere possunt sine molestia ac dedecore. Nam qui ipsi tenuissime ac parcissime viuunt, ac ne dedecus quidem ac

sermones hominum in eo genere timent, hocque se liberorum caussa facere dicunt, cum illos ipsos liberos duriter habeant, ac non modo stomachos eorum modio iniquo castigent, sed ne has quidem impensas faciant, quae ad recte formandos liberos pertinent, hi non liberorum caussa parci sunt, sed liberorum amorem et commodum suae auaritiae praetexunt.

191. Ex altero coniugii scopo, qui in mutuo auxilio versatur, quid consequatur, ipsum quoque nihil difficultatis habet, vt perspiciatur. Scilicet, quia non sufficiunt vnius aut mariti, aut coniugis vires omnibus iis praestandis, quae liberis debentur, vtriusque partis coniunctae esse ad eam rem vires debent, vtraque liberos curare, ad sapientiam et virtutem instituere, de eorum salute cogitare debet, et, quod potest quaeque, opis afferre. Sed quoniam primum, quod liberis debemus, in eo positum est, vt eos alamus, laboriosa esse vtraque pars, inprimis autem maritus debet, qui ad labores plus virium et occasionis habet. Operam etiam parsimoniae dare coniuges debent, ne aut, quae ante initum coniugium habuere bona, aut quae in ipso coniugio parta sunt, dilabantur, ac ipsi in paupertatem incidant. Itaque etiam maritus, quod vxor attulit, *dotem* appellant, non plane suum putare debet, aut quocunque

cunque modo absumere. Neque enim, quae affertur dos, marito donatur, sed ideo affertur, vt, quia minus viribus valent mulieres viris, neque tantum, inprimis in dignitate aliqua constitutae, possunt labore lucrifacere, quantum vir, saepe etiam nihil, sit tamen aliquid, ex quo quod redundat, possit ad necessitates communes sustinendas adhiberi.

192. Reliquorum officiorum omnium fons quidam et fundamentum amor est; qui si verus ab vtraque parte erit, non patietur quicquam discordiae, litis, pugnae incidere, sed tranquillum et pacatum, laetum et iucundum coniugium efficiet. Nam vtraque pars alteri id praestabit, quod sibi praestitum vult, atque omnia sua commoda et gaudia ex alterius commodo et gaudio comparabit; vxor marito, inprimis, si sapientior et prudentior est, obtemperabit, maritus autem vxoris consilia sequetur, si qua res inciderit, quam ea rectius intelligit; neutra pars alteri temere aduersabitur, et in omnibus facilem alteri se praestabit. Quod si contingit, quae iucundior potest vita cogitari? Nam si omnis amicitia multum ad suauitatem vitae adiumenti habet; quid non a coniugio huiusmodi expectabimus, quod omnes amicitias antecedit, coniugumque animos longe arctiori vinculo adstringit, ac amicitia. Sed quo-

niam coniugium recte amicitiae genus habetur, quicquid de amicitia praecepimus, huc quoque trahi potest.

193. Sed inprimis euellenda est animis hominum ea opinio, quae apud multos inualuit; quasi vero coniugibus liceat omni modo libidines suas explere; qua nihil pernicioſius esse et turpius potest. Nam quemadmodum cibus et potus etiam, quem sine cuiusquam iniuria, quia nostro labore partus aut pretio redemtus est, aut quocunque iure ad nos pertinet, sumere possumus, nocet nimium sumtus, ac intemperantiam efficit, quae in vitio habetur; ita etiam intemperantiae est, in coniugio rebus venereis ad voluptatem abuti. Itaque in hoc genere etiam modus seruandus ac temperantia adhibenda est.

194. Quoniam autem parentibus liberi vitam, alimenta et multa alia commoda debent, a parentibus, etiam ad sapientiam et virtutem formandi sunt; parentibus imperium esse in liberos debetur, et liberi eorum praeceptis libenter obsequi debent, nisi eiusmodi sint, vt honestati repugnent, amorem praeterea praestare, eos, quibuscunque rebus possunt, iuuare, honore afficere, ac in omnibus gratos se exhibere. Itaque etiam iniurias parentum aequo animo ferre

ferre liberi, eorum irae cedere, neque iis irasci debent, si quid grauius in se statuerint.

195. Hic vero magna a parentibus cautio adhibenda est, ne scelera inuenilia sua, vt Chremes Terentianus, liberis narrent, nec illis praesentibus res turpes agant aut dicant, ne eos cupiditate imitandi incendant; ne res leues grauioribus poenis castigent, ne sint in concedenda ludendi et recreandi animum potestate difficiliores et duriores, ne iis res aequas facile negent, ne ex sua libidine eos moderentur, ac tales statim in pueritia esse velint, quales ipsi sunt, aut aliud eiusmodi faciant, quod ad amorem minuendum, aut auctoritatem debilitandam aliquam vim habere potest.

196. Sed potestati parentum liberi tamdiu subesse debent, quamdiu non possunt ipsi se alere, ac rebus suis salutique consulere. Illi ipsi autem, qui ex potestate parentum exierunt, eorum tamen monitis libenter obsequi, neque pertinaces in vlla re se praestare debent. Et quoniam imprimis in coniugio ineundo facillime errant et decipiuntur homines iuniores, et amore coeco ad coniugia ruunt minime sibi profutura; non debent sibi hoc sumere, vt inconsultis aut non consentientibus parentibus coniugium ineant. In quo quidem si accidat, vt parentes temere ac sine graui aliqua caussa

ipsorum voluntati repugnent, aut his collocatos ipsos et desponsos eant, in quibus nihil, quod amore dignum sit, sibi inuenire videntur, id quod saepe accidit: non est quidem, quare in voluntate parentum acquiescant liberi; sed in repugnando tamen omnem pertinaciam fugere, ac rationibus potius allatis, precibus, modestia, vt in partes suas parentes trahant, operam dare debent.

197. Quoniam autem grati esse in parentes liberi debent, eosque amare, efficitur primo, vt, si his res paullo lautior sit, pauperibus parentibus succurrant; deinde si ad dignitatem aliquam peruenerint, parentes humilis conditionis ne contemnant, aut ita se erga eos gerant, vt aut parentibus, aut aliis oriri suspicio possit, eos parentum poenitere aut pudere.

198. Parentum locum et tutores et magistri tenent, a quibus quacunque arte liberi imbuuntur. *Tutores* enim sunt, qui curam liberorum, mortuorum parentum loco, suscipiunt; magistris autem traduntur, vt ab iis his artibus instruantur, quibus ab ipsis parentibus debebant, sed non possunt instrui, quia aut facultas ipsis, aut tempus deest. Ex quibus efficitur primum, vt et tutores et magistri, illi pupillos, hi discipulos suos, ita ac parentes curent, eos ament,

ac,

ac, quibuscunque modis possunt, eorum saluti consulant; deinde, vt pupilli tutoribus, discipuli magistris eadem, quae parentibus, amorem, reuerentiam, gratum animum praestent. Sed de tutela in superioribus dictum est.

199. Parentes non possunt semper soli omnia facere, quae fieri ipsorum interest. Itaque alienum auxilium assumunt, certa pacta mercede. Ii autem homines, qui ad certum tempus, vti nunc quidem res sunt, annum v. c. certa mercede conducuntur, vt aliquem in rebus domesticis adiuuent labore suo, *serui* aut *ancillae* pro diuerso sexu appellantur; hi autem, qui eos conducunt, *heri* et *herae*. Herus idem *paterfamilias*, hera *materfamilias* dicitur, quia ex hero, hera, liberis, seruis, ancillis *familia* fit.

200. Ex his intelligitur inter herum vel heram et seruos ancillasue pactum intercedere, cuius haec vis est, vt pro certo labore certa merces his tribuatur. Quare cum pacta religiose seruanda sint, heri erit, seruis ancillisque mercedem promissam sine diminutione ac fraude vlla tribuere; seruorum autem et ancillarum, domino obedire, reuerentiam praestare, imperata diligenter facere, nihil damni ei afferre, sed in omnibus eius commodis studere. (§. 120.)

201. Quoniam ſerui apud nos ad tempus certum conducuntur, domini eſt, eos non ſine graui cauſſa ante tempus dimittere ac domo eiicere, quod inter eos conuenit; ſeruorum autem, non deſerere dominum, quoniam vtroque pactum laeditur. Si quis autem ſeruus, aut ſi qua ancilla in rebus ſuis negligentior, aut ignauior in labore fuerit, a domino, primum verbis bonis, deinde minis ac ſeueritate ad diligentiam compelli debent, eorumque peccata in aliis etiam rebus grauiter reprehendenda ſunt. In quo tamen omnis acerbitas et contumelia et duritia fugienda eſt. Neque plus laboris imponendum exigendumque eſt, quam aut vires aut tempus permittunt, quod ad laborem datur. Et quemadmodum nemo iniuriis fraudibusque laedi, nemo contemni, nemo temere ad iram prouocari, aut inimicus nobis reddi debet; ita nec humilis ſeruorum ſeruarumque conditio nobis putanda eſt poteſtatem et licentiam horum faciendorum dare.

PHI-

PHILOSOPHIAE MORALIS *PARS II.*

ETHICE SEV DE MORIBVS.

REcte Horatius pronunciat, nihil leges sine moribus vanas proficere, hoc est, nisi, quibus feruntur leges, tradatur etiam seruandarum legum ratio, aut accedat quaedam recte faciendi consuetudo, institutione et diuturna exercitatione comparata, qua efficiatur, vt quicquid legibus praecipitur, praestari etiam sine difficultate possit. Quemadmodum enim, qui, quod in quaque arte, vt in pictoria, musica, pulchrum et suaue est, intelligit, non potest statim id ipsum etiam efficere, nisi omnes artis regulas teneat; et ne his perceptis quidem, nisi vsu, et exercitatione assidua et diuturna quidam bene pingendi, aut canendi, aut fides tractandi habitus et quaedam consuetudo contracta sit; ita nec potest, quod in actionibus humanis honestum et iustum est, ipse suis actionibus et vita exprimere, qui, quibus praesidiis, artibus, modis ea facultas comparetur, ignorat, aut etiam ab harum artium cognitione seiungit constantem et perpetuam exercitationem, qua honeste et iuste agendi habitus concilietur. Itaque, quo-

quoniam in superiori parte felicitatis et summi boni, iusti et honesti, virtutis denique naturam explicauimus, omnesque beatitatis, honestatis, iustitiae, et virtutis fontes non modo, sed regulas etiam ac leges aperuimus, nunc, qua via et ratione ad haec omnia eatur, quibus subsidiis et quasi artibus opus sit, et quomodo impedimenta virtutis tollantur, expediemus.

CAP. I.

De modo Felicitatis, Virtutisque consequendae.

I.

OMnibus hominibus, vti demonstrauimus, hoc natura tributum est, vt incredibili felicitatis cupiditate trahantur, neque quisquam eo insaniae progredi potest, vt neque felicitatis cupidine moueatur, neque se hoc agere confiteatur, vt felicitatis particeps fiat. Itaque etiam illi ipsi, qui omni vitiorum genere volutantur, hoc fateantur necesse est, omnia se, omnesque actiones suas ad felicitatem referre. Etsi enim felicitati inimicum est vitium, neque beate vivi potest, nisi honeste et iuste viuatur; non tamen propterea vitiis quisquam delectatur, quia vitia esse, eaque felicitati repugnantia intelligit; sed quoniam aut ignorantia, aut erroribus excoecatus, aut vehementibus effrenibusque

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0272
DFG

que cupiditatibus praepeditus, verum cernere non potest, neque verae felicitatis vim intelligit, aut, quae vna ad eam ducit, viam videt. Quamobrem quoniam vltimus et summus omnium humanarum actionum finis in felicitate consequenda versatur; relictis omnibus operam dare quisque debet, vt veram minimeque fallacem felicitatis notionem animo informet, planeque intelligat, vnam viam ad felicitatem per virtutem patere.

2. Sed quoniam felicitas, in perpetua et constante animi voluptate posita est, a qua plane seiuncta est haec, quae solos sensus mouet suauiterque delenit, belluina illa, minimeque rationi consentiens; omnis autem haec animi voluptas e perceptis bonis oritur: non potest felicitatis vis percipi, nisi cognita recte bonorum natura. Bonorum autem cum duo genera sint: alterum eorum, quae vera dicuntur, quoniam solidam durabilemque delectationem afferunt; alterum eorum, quae falsa pulchritudinis specie incautos decipiunt: maximam ad felicitatem inueniendam vim habet, vtrumque genus internoscere posse, ne malum pro bono amplectamur. Itaque etiam depellendae sunt et exturbandae ex animo omnes peruersae de bonis et malis opiniones, si quibus est per aetatem infirmiorem imbutus, qua sensu et phantasia fere vnice ducitur, adeoque facil-

lime

lime prauis huiusmodi opinionibus corrumpitur.

3. Iam cum omne bonum et malum ab actionibus humanis proficiscatur; felicitatis studiosus operam dare debet, vt actionis cuiuscumque naturam, et, quam habeat in animum, corpus, totamque conditionem suam vim, intelligat. Itaque hanc sibi primam legem ferat, quam nunquam deserat, nunquam ex oculis amittat: ne quid ante agat, quam, quale id sit, bonumne sit an malum, virtuti consentaneum nec ne, accurate consideraverit et plane exploratum habeat. Quod quidem commodissime efficiet, si naturam non modo mentis, corporis conditionisque externae, sed actionis etiam suscipiendae, rei denique ipsius, in qua tanquam in materia obiecta actio versatur, sedulo considerabit, atque ita inter se ea omnia comparabit, vt quo modo ea res, ea actio animum affectura sit, bonumne sit an malum allatura, cognoscat. In quo genere inprimis valet experientia, quae, quam quaeque res vim habeat, quid quamque actionem sequatur, optime docet. Haec itaque semper in isto negotio in consilium adhibenda, eiusque fidelissimis consiliis obtemperandum est.

4. Sed quae hoc artificio inuestigari formulae actionum generales possunt, eae iam sunt superiori parte propositae et explicatae. Hoc loco

loco autem is error castigandus reiiciendusque est, qui plerorumque animos insedit, quasi, cognitis illis iusti et honesti, virtutisque regulis generalibus, procliue sit vbique, quid iustum honestumque sit, quid virtuti consentiat nec ne, scire; qua opinione qui tenentur, grauissime pernicioſissimeque errant. Nam quemadmodum, qui legum ciuilium scientiam consecutus est, non statim etiam ea est iuris prudentia, vt possit vbique et in omnibus, quae incidunt, controuersiis de iure, quid iustum aequumue sit, nec ne, iudicare, sed crebra exercitatione, diuturnoque rerum vsu demum comparatur facultas legum ad res quasque applicandarum, quod idem in omnibus aliis artibus accidit; ita in hoc etiam naturali iuris genere, qui formulas generales tenet, debet etiam operam dare, vt vbique eas recte adhibere atque applicare discat. Id autem eo, quo diximus modo, facile obtinebitur. Si quis enim quamque actionem examinabit hoc modo, intelliget, ad quod genus ea pertineat; quo cognito, poterit, quae de genere in superiori parte pronunciata sunt, facile ad propositam actionem applicare.

5. Totum autem hoc negotium duobus syllogismis conficitur; quorum primus actionem, quae in considerationem venit, ad genus suum refert in hunc modum: Intemperantis est cibum

bum sumere aut in se noxium, aut, qui noxiusne sit nec ne, non constat, vnius saporis caussa. Sed, hic cibus nociturusne mihi sit, an profuturus, nescio; igitur intemperantis esset, eum sumere: alter pronunciatum de intemperantia proponit, eique adiungit conclusum primi, atque ita efficit iudicium de actione ipsa suscipienda aut omittenda, in hanc formulam: Quae actio intemperantis est, ea, cum sit felicitati inimica, omittenda est. Sed cibum propositum sumere, esset intemperantis; est ergo cibus hic non sumendus.

6. Sed in hac actionum consideratione, et cum summo hominis fine comparatione sedulo cavendum est, ne ante considerandi finem faciamus, quam plane exploratum habeamus, cuius generis actio sit, ita, vt nullum dubium relinquatur. Qui enim secus faciunt, nunquam possunt esse securi, ne aliquando de perpetrata actione aliter iudicent, seraque se praecipitati iudicii poenitentia subeat, quae homines ita saepe sollicitos, ita anxios habet, inprimis cum, id quod fere accidit, aliae animi commotiones ipsi adiunguntur, vt conquiescere nullo modo possit; quod quam sit felicitati aduersum, facile intelligitur. Multo minus itaque actio suscipienda erit, quae, cui generi subiecta sit, dubium est.

7. Vt

7. Vt autem felicitas plena obtineatur, quaedam res nobis comparandae sunt, quarum possessio et vsus, in aliqua felicitatis parte est. In his autem quaerendis videndum erit, primo, vt earum naturam cognitam habeamus atque perspectam, non modo, vt intelligamus, an, et quomodo ad felicitatem referantur, sed etiam facilius, qua via et ratione comparentur, reperire possimus, et a quibus rebus, tanquam a caussa sua effectum, proficiscantur. Hoc enim alterum est in eo genere, vt, quibus modis et artibus eas res consequi possimus, cogitemus. Nisi quis enim haec duo accurate cogitauerit, operam saepe studiumque male consumet, et sero stultitiam suam accusabit; quae res non potest non animum perturbare et tranquillitatem tollere, sine qua felicitas non modo non esse, sed ne cogitari quidem potest.

8. Quoniam autem quotidie multa praeter opinionem accidunt, multa certe accidere possunt, quae impediunt, quo minus id, quod quaerebamus, consequamur, et omnes artes nostras eludunt; antequam ad aliquam rem acquirendam incumbas, cogitandum erit, quae in eo rerum genere accidere possint et soleant, vt mature remedia inuestigari, atque impedimentis opponi possint. In quo quidem genere plurimum nos iuuabit experientia, et temporis, loci, rei ipsius, hominumque consideratio, a

quibus impedimentum oriri potest. Iam si videamus impedimenta et difficultates esse eiusmodi, vt neque ingenio nostro, neque arte aut labore superari possint, aut nulla certe earum vincendarum spes magnopere appareat; melius erit et ad tranquillitatem aptius, eius rei studium plane abiicere, neque vllo modo committere, vt frustra temereque suscepti laboris nos poenitere possit.

9. Qui haec considerabit, facile intelliget, felicitatis verae studium plenum esse laboris, multumque curarum, vigiliarum, difficultatumque habere. Neque id mirum cuiquam videri debet, cum natura ita comparatum sit, vt, quo quid est praestantius atque excellentius, eo maiori labore tanquam pretio vendatur. Itaque, quoniam maxima hominum pars ad ignauiam procliuis est, et facillime a rerum excellentium studio cogitatione difficultatum, et laboris metu abstrahitur et deterretur: Opera adhibenda est, vt ne fraudi nobis ea res in felicitatis studio sit. Quod quidem efficietur, si quam saepissime felicitas ipsa cogitetur, eamque summum hominis bonum esse, obuersetur animo. His enim cogitationibus imbutus et plenus animus amorem summum, cupiditatemque vehementem felicitatis concipiet, ex qua non propositum modo, sed etiam ardor quidam insignis et studium existet summi illius boni quouis labore redimendi,

mendi, et totis viribus omnibusque neruis ad felicitatem contendendi. Neque vero satis est, hanc cupiditatem felicitatis, hunc ardorem semel concitasse, sed etiam, quasi alimenta quaedam, ipsi suggerendae sunt cogitationes beatitudinis perpetuae, quae nunquam sinant ardorem illum debilitari aut exstingui.

10. Et quoniam magna exemplorum vis est, eaque altius in animum humanum descendunt, quae aut in oculorum auriumue sensum incurrunt, aut certe aliquando accidisse certo constat, quam quae sola ratione intelliguntur; multum ad verae felicitatis studium et concitandum et augendum, conseruandumque proderit, diligenter exempla eorum contemplari, qui, aut olim, aut nostra memoria bonis veris et perpetuis relictis, ad bonorum putatitiorum, vt voluptatis corporeae, diuitiarum, honorumque studium se contulerunt. Eo enim modo clarissime intelligetur, primo quam caduca sit non modo et celeriter transiens, sed pernicioſa etiam et taedii dolorumque ferax voluptas ea, quae a bonis putatitiis proficiscitur, et contra ea, quam durabilis, solida et incorrupta sit ea, quam verorum bonorum studium affert; deinde, nullum horum transiturorum et putatitiorum bonorum, vel ad breue tempus solidam voluptatem afferre, cum nec diuites sine honoribus, voluptatibus corporeis,

nec honorati sine diuitiis et voluptatibus, nec qui voluptatibus abundant, sine honoribus, et qui diuitiis, honoribus, omnibusque voluptatum instrumentis abundant, sine recta valetudine, aut sine ingenio contenti esse possint, rarissime autem ac pene nunquam accidat, vt omnia huiusmodi bona vni attributa sint; denique ipsum horum bonorum studium et cupiditatem, cum facultate ex iis singularem aliquam voluptatem percipiendi sensim paullatimque, annis ingraueſcentibus inprimis, abire, nihilque praeter tristem sui memoriam relinquere.

II. Cum porro accidat saepissime, vt contra propositionem animi agant homines, quod de ea non venit in mentem, vbi agendi occasio offertur; opera danda est, vt ea nobis semper obuersetur. Itaque quam saepissime ea cogitanda et quasi instauranda est. Nam eo modo ita quasi familiaris nobis euadet, vt vbique sponte ad animum recurrat, et ardorem illum cupiditatemque felicitatis verae consequendae simul resuscitet, neque permittat, nos aut omittere, quod ad veram felicitatem pertineat, aut facere, quod ei impedimento esse possit. Ad eam autem rem multum adiumenti afferet id, quod Pythagoram accepimus suasisse, vt, cum ad nocturnam quietem nos recepissemus, antequam obdormiscerēmus, totius exacti diei actiones redi-

redigamus in mentem, excutiamus, et ad propositum illud exigamus; quae quidem actionum exploratio etiam hanc vim habebit, si statim post susceptam actionem quamque fiet. Nam cum ante actionem susceptam sensuum et phantasiae ludibriis, perturbationumque violentia impediri animus possit, vt aut de proposito non cogitet, aut ad videndum verum fiat hebetior; actione perpetrata, vbi se ex his quasi vinculis expediuit animus, facilius et incorruptius iudicabit, et, si quid a se male actum esse intellexerit, ab huius generis actionibus sibi inposterum cauendum esse statuet. Facilius etiam recordabimur et seruabimus propositum, si ad ipsa diurna negotia bene praeparatum pectus afferemus. Quod quidem fiet, si mane, priusquam ad negotia ipsa accedamus, non modo de omnibus, quae agenda nobis sint, quae accidere occasiones peccandi possint, cogitemus, sed simul etiam illam, quam diximus, animi propositionem instauremus, et confirmatiorem, repetitis eius causis, reddamus.

12. Sensus et phantasia quantam vim habeant ad commouendum et perturbandum animum, et quam non modo difficile reddere atque impeditum felicitatis verae studium possint, sed auertere etiam homines a bonorum verorum studio, et verorum malorum fuga, et obiecta animo falsa rerum specie ad bona putatitia

tatitia perſequenda, et mala huius generis fugienda abripere, alio loco demonſtratum eſt. (Pſychol. §. 75.) Itaque, qui felicitatis verae ſtudio ducitur, id inprimis operam det neceſſe eſt, ne ſibi ab his animi facultatibus in hoc genere imponatur; quod, quoniam iucundiſſime atque ſuauiſſime faciunt, aſſumuntque illas animi humani dominas, et quaſi tyrannos, commotiones, multum difficultatis habet. Sed de eo, paullo poſt, pluribus dicetur.

13. Vnam virtutem eſſe, qua via ad virtutem muniatur, ſupra demonſtratum eſt. Itaque, qui volet propoſitum ſuum ſervare, eique convenienter vivere, omni ſtudio virtutem perſequetur, hoc eſt, habitum quendam et conſuetudinem comparabit, ea faciendi, quae lex naturae praecipit. In eo autem habitu conſciſcendo hanc rationem ſeruabit, vt primo, leges naturae, et quid in quoque genere natura praecipit, cognitum ſibi reddat atque perſpectum; deinde ita has regulas ſibi familiares efficiat, vt ad quamcunque agendi occaſionem animo occurrant, et, quid agendum ſit omittendumque, moneant. Sed quoniam ea humani ingenii ratio eſt, vt libenter detrectet imperia, neque facile pareat iubentibus, niſi, quare quid agendum ſit, ratio demonſtretur, neque poſſit voluntas niſi bonorum cogitatione moueri; non modo cognoſcenda, ſed etiam

ſaepe

saepe diligenterque cogitanda sunt agendi argumenta, omniumque legum naturalium fundamenta, et quam quaeque actio legi naturae consentiens ad felicitatem obtinendam vim habeat, vt semper praesentia animo sint, eumque ad suscipiendas eas actiones impellant, quae legi naturae consentiunt.

14. Multum etiam ad virtutis studium proderunt ea omnia, quae de felicitatis studio praecepimus. Felicitas enim et virtus cum ita inter se nexae sint et colligatae, vt neque felicitas sine virtute esse, neque virtus sine felicitate possit, fieri non potest, quin felicitatis verae cupiditas et studium ex se gignat atque producat virtutis amorem et studium, quod non prius exstinguatur, quam ipsius felicitatis cupiditas exspiret.

15. Exemplorum hic quoque magna vis erit. Nam vt omittam id, quod supra dictum est, per se altius in animos descendere exempla ac praecepta, quia a sensibus eorum cognitio ducitur, quae multo vehementius animum faciliusque mouet, quam quae a ratione proficiscitur; exempla ostendunt non fieri modo posse, vt virtutem nobis comparemus, (ontol. §. 7.) sed etiam certissimum efficiunt, ac contra omnem dubitationem muniunt animum, quasi neque virtus habeat hanc vim, vt felices homines reddat, neque vitium, vt infelices. Hanc

autem vim vt habeant, ostendendum inprimis illud est, quae bonis bona acciderunt, a virtute orta esse, eisque propter virtutem contigisse, et quae malis mala euenerunt, a vitiis profecta esse. Praeterea, cum generales sint, quae de virtutibus et vitiis, eorumque adiumentis et subsidiis traduntur, regulae, exempla artes quasdam peculiares et regulas exhibent, quibus suo loco commodius multo vti ac generalibus possimus. Sed si nullam aliam vtilitatem afferrent, hanc certe haberent, vt praecepta virtutum familiaria nobis efficerent; quod quam sit ad virtutis studium non modo vtile, sed etiam necessarium, paullo ante monuimus.

16. Quoniam autem et virtus et vitium inter habitus pertinet, facile intelligitur, neque virtutem vno die aut breui tempore comparari, neque vitium depelli posse (Psychol. §. 100.); quod quidem vel propterea diligenter cogitare debemus, ne successus non celerrimus in vtroque genere, et laboris diuturnitas nos impatientes reddat, et ab ipso proposito hoc praetextu absterreat et abstrahat, quasi fieri non possit, vt virtus comparetur, vitium deponatur. Quid enim? si in discenda vel mediocriter lingua, arte, in comparanda aliqua corporis habilitate multi anni consumendi sunt, et libenter his rebus impenduntur, quia aliquas nobis commoditates creduntur afferre,

afferre; virtuti consequendae et vitio expellendo non dignabimur idem laboris tribuere, cum his duabus rebus omnis felicitas nostra contineatur? Quemadmodum, vt Iuuenalis ait, *vitiorum quaedam elementa sunt, neque repente quisquam fit turpissimus;* ita multo magis, quia natura, propter summam omnium rerum ignorantiam et sensuum phantasiaeque dominatum, cui ab vtero matris submittimur, plus ad vitium quam virtutem procliues sumus, multo magis, inquam, virtutis etiam quaedam elementa sunt, neque statim, vna hora, die, vno mense aut anno sanctissimus quisquam fieri potest. Neque tamen vlla, quae ad virtutem colendam aut vitium deiiciendum pertineat, actio suscipitur, quin propius ad virtutis habitum accedamus, et vitii vim minuamus, etiamsi ne sentiatur quidem. Itaque non demittendus vllo modo est animus, aut felix euentus desperandus, sed instandum acriter, nulli molestiae cedendum aut succumbendum, sed ad plenam victoriam totis viribus labor continuandus.

17. Impedimento esse virtuti saepe etiam illud solet, quod saepissime accidere aiunt, vt malis bene sit, bonis male; qui virtutem sectentur, omnibus calamitatum generibus premantur, vitiis autem omnibus inquinati, iidem omnibus saepe rebus affluant et feliciter aeuum agant. Sed hi fere ita sentiunt, qui felicitatem illam,

de qua nunc agitur, non discernere a fortuna didicerunt, qua hoc loco non vtimur, et quae summa etiam cum miseria coniuncta esse potest.

18. Fortuna ad corpus, felicitas haec nostra ad animum praecipue pertinet. Itaque, quemadmodum pulchritudo corporis a pulchritudine animi, ita fortuna etiam a beatitate animi seiuncta esse potest. Socrates quam fuerit non modo studiosus virtutis, sed quantum etiam in hoc ipso studio praeter ceteros omnes profecerit, inter omnes constat; sed eiusdem virtutem etiam accepimus nudam non modo ab omnibus fortunae ornamentis, sed multis etiam aduersis casibus et calamitatibus vexatam fuisse. Quis interim, qui eius vitam, sermones factaque omnia legit, negare audeat, felicissimum animo, vt in hac mortalitate humana, et vt hominem a purioribus sacris alienum, fuisse? Augustum contra ea scimus omni honorum diuitiarumque copia abundasse, atque fortunatissimum fuisse, qui etiam in felicium censura apud Romanos princeps collocabatur. Quis autem felicitatem hanc nostram ei tribueret, quem tot scelerum et flagitiorum conscientia quiescere non sinebat? qui saepe suspicionibus et timoribus, saepe poenitentia et pudore aliisque perturbationibus, quibus receptis nulla solida felicitas est, agitabatur? v. Plin. Hist. Nat. L. VII. c. 45. Quod si in paupe-

pauperem et fortunae ornamentis destitutum non caderet vera felicitas, male nobiscum egisset naturae auctor, quod felicitatem paucorum tantum et saepe indignissimorum esse voluisset; quod quam sit ab eo alienum, ex his intelligetur, quae de eius sapientia et bonitate post dicentur. Reiecta autem et repudiata omni fortunae ambitione, intelligemus facile, satis indulgenter naturam nobiscum decidisse, quae eam felicitatis verae naturam, eam humanae mentis indolem esse voluerit, vt in omnes homines ea cadat, etiam fortunis omnibus nudos. Sed in hoc genere saepe etiam errore decipimur, cum scilicet assumta aliqua sed inani et falsa specie inducti virtutem his tribuimus, qui ab ea remotissimi sunt, et occultis quidem, sed grauissimis vitiis tenentur.

19. Ceterum, quoniam ea imbecillitas naturae humanae est; vt nunquam ab omnibus erroribus, omni ignorantia liberetur, aut semina vitiorum plane eiiciantur, non mirum est, si studiosissimus etiam quisque virtutis et maxime prouidus saepe a virtute, etsi non consilio et opera data, errore tamen et ignorantia aberrat et declinat, cuius quidem generis errores saepe plus nocent ac grauissima scelera. Ex quo existit illud, vt, quoniam perfecta, et omnibus numeris suis modisque absoluta virtus in imbecillitatem nostram non cadit, nec perfecta et con-

consummata felicitas in humana natura et in hac vita nostra locum habeat.

20. Quemadmodum autem in felicitatis, ita in virtutis quoque studio negotium nobis facessunt sensus, phantasia, commotiones animi, peruersaeque consuetudines, quarum vis, nisi infringatur, parum vtique in virtutis studio profeceris. Itaque capitibus sequentibus de his, sed suo de quoque loco, praecipiemus.

CAP. II.
De Cultura Ingenii.

21.

VIrtutes perfectionesque ingenii duplices sunt. Alterum genus earum est, quod in recte contemplandis rebus versatur, vt scientia, doctrina, acumen, habitus demonstrandi, cognitionis soliditas; alterum autem earum, quae ad voluntatem etiam, totamque vitam regendam et moderandam, omnesque actiones pertinent. Harum duae praecipuae sunt *sapientia* et *prudentia*; quae, quoniam inprimis ad hanc vitae recte gerendae doctrinam pertinent, praetermisso superiori genere, quod ad Logicam potius pertinet, solae hoc loco tractabuntur.

22. *Sapientia* duabus rebus cernitur, quarum vna in electione finium ponitur, cum nihil sine certo

certo consilio cogitataque ratione agimus, neque quicquam, nisi honestum et iustum, et ea bona sequimur, quae aliquam vim ad veram felicitatem habent. Altera in excogitatione earum rerum, et quasi artium consistit, quibus tanquam caussis, id, quod quaerimus, continetur.

23. Praecipuum itaque sapientis officium hoc est, ne quid moliatur aut suscipiat, cuius reddere percontanti rationem nequeat, et, ne abripi se contractis consuetudinibus ad agendum patiatur, antequam, quid et quare agat, cogitauerit. Quae res, quoniam fieri non potest, nisi magna attentio et cautio adhibeatur, operam sapientiae studiosus dabit, vt attentendi vim non modo quacunque ratione intendat, sed etiam mature discat attentionem, quantam maximam potest, omnibus, vel minimis rebus adhibere, vt tota ea sit in potestate, et, quorsum velit, transferri possit. Et quoniam quaedam artes sunt, quarum tractatio ad eam facultatem intendendam multum adiumenti habet, vt mathematicae, et eae philosophiae partes, quae in contemplando versantur; operae pretium etiam hanc ob causam faciet, qui his aliquid temporis tribuet, si quam eius rei occasionem facultatemque nactus fuerit.

24. Multum etiam hanc attentionem et considerantiam augebit, qui diligenter considerabit, quan-

quantum saepe luctus temere susceptae actiones habeant, et qua poenitentia, pudore, indignatione conturbentur, qui illud stultorum: *non putaram*, vsurpare coguntur, et sero nimis intelligunt, quam magnae res ex re leuissima propter varios casus, qui praeter opinionem interueniunt, consequantur.

25. Proximum huic officium erit, quale sit id, quod in agendo sequimur, recte cogitare, et cuiuscunque actionis consilium ad vltimum omnium actionum finem, felicitatem, referre; quod quidem facile fiet ab his, qui his praeceptis parere volent, quae supra sunt de felicitatis studio tradita. (§. 5.) Sed quoniam saepe accidit, vt optio nobis inter plura detur, quae singula quidem aliquam, sed diuersam tamen minimeque aequalem vim ad felicitatem habent, per se intelligitur, sapientis esse, optimum sequi; stulti autem, minus bonum maiori praeferre. Quod quoniam naturae voluntatis humanae per se consentaneum est, nullam ea res magnopere difficultatem habebit, modo opera detur, vt certa minimeque dubia ratione, quod bonum sit altero maius, cognoscamus, caueaturque, ne qua inanis cupiditas aut animi commotio interueniat, quae rationis aciem obtundat, animumque a cogitando abstrahat, quibus duabus rebus nihil inimicius sapientiae esse potest.

26. Sum-

26. Summa autem sapientiae vis in eo elucet, cum fines omnium actionum ita apti inter se sunt et nexi, vt continuatio quaedam et transitus finium efficiatur, quorum quisque ad proximum aliquid conferat, omnes autem communi et amico consensu ad vltimum et summum conspirent.

27. In ea re, difficili illa, multaeque solertiae, studii et curae, hunc modum adhibebimus, vt primo, constituto vltimo fine, sub quo ceteri tanquam genera secundaria et formae sub primario contineantur, de remediis generalibus cogitemus, quae summum finem ex se gignant; quae quidem ita comparata sint, vt nullum nulli repugnet, neque vlla ratione vlli impedimento sit; deinde eam curam et cogitationem renouemus, et ad alia remedia horum remediorum tanquam finium conuertamus, in quorum delectu idem consilium, eadem cautio adhibeatur. Atque ita semper progrediendum et sensim paullatimque ad actiones singulas descendendum est, vt tandem vniuersus ille finium concentus obtineatur.

28. Sed hic finium delectus multo facilior est altera illa sapientae parte, quae in excogitandis adhibendisque remediis versatur. Vt enim in omnibus honestatem veramque felicitatem sequare, vnum fere illud requiritur, vt, quid vera bona distent a falsis, iudicare queas, et animum habeas

habeas felicitatis cupiditate flagrantem; quod quidem ipsum quoque alicuius solertiae studiique est; neque tamen tot rerum cognitionem, atque alterum illud, desiderat. Remedium enim cum ita cum fine, vt caussa cum effectu comparetur; ad remedia excogitanda illud maxime requiritur, vt, quid ex quoque consequatur, et ex quo quidque efficiatur, cognitum atque perspectum habeamus. Qui itaque sapiens esse volet, omnium non modo actionum, sed etiam earum rerum naturam et vim explorabit, quae ad vitam humanam pertinent, et in quibus actiones tanquam in materia subiecta versantur.

29. Constituto autem eo, ad quod contendere velimus, relictis omnibus, quale id sit, cogitandum est; deinde excutiendus et in omnes partes versandus animus, donec occurrat aliquid, quod certo constet esse eiusmodi, vt ab eo id, quod quaerimus, proficisci queat. Neque enim incertis opinionibus in re tam graui et tanti momenti duci debet sapiens, quantum quidem fieri potest. Cum opinionibus enim quoniam semper errandi periculum coniunctum est; qui in eligendis remediis opiniones sequitur, de euentu nullo modo certus esse potest. Sed in his rebus, in quibus certum nullum est, recte sapiens probabilitatem sequetur.

30. Et

30. Et quoniam interdum plures sunt ad eandem rem quasi viae, quae potissimum ineunda sit, etiam atque etiam sapienti considerandum est. Nam primo, quemadmodum, qui malas res sequitur, et iis consequendis apta remedia adhibet, minime propterea sapiens est, ita nec hic sapientiae laudem meretur, qui ad bonos honestosque fines malas artes adhibet. Deinde honestarum quoque artium diuersa ratio est. Nam aliae aliis sunt ad breuitatem commodiores, et ad vim fortiores. Consentaneum itaque est sapientem hunc remediorum delectum habere, vt simplicissima et breuissima, item praesentissima ac foecundissima reliquis praeferat. In quo tamen cautio est, ne remedium breuius et simplicius anteferatur minus breui etiam tum, cum ab hoc plura bona ac ab illo proficisci possunt.

31. Ad hanc remediorum inuentionem et comparationem multum aliena exempla proderunt. Itaque non solum in historiae studio, sed in quotidiana etiam vita inprimis videat sapientiae studiosus, primo, quo consilio quisque, deinde quid egerit, et qui euentus eius actionibus tanquam remediis responderit, atque ex his sibi, quod imitetur, sumat, et, quod vitet, capiat; modo haec ab eo adhibeatur cautio, ne ex euentu ante de remediis iudicet, quam eum cum remediis accurate contulerit ac

viderit, num in remediis euentus tanquam semina contineantur. Saepe enim accidit, vt secundus aduersusque casus se immisceat, a quo omnis euentus proficiscitur. Et quanquam *callidi* potius quam sapientes sunt, qui minime honestis finibus apta remedia adhibere possunt; horum ipsorum tamen exempla quoque iuuare sapientem possunt.

32. Iam ex his, quae sint sapientis indicia et signa, facile intelligi potest. Qui enim nihil agit sine ratione, nec iussus agere vult, nisi ratio ei, cur id agendum sit, reddatur; qui, quod quaerit, modo honestum sit, consequitur honesto modo, eum sapientem esse recte iudicabimus: modo teneamus illud, ne temere ex euentu infelici sapientem aestimemus. Saepe enim optimorum remediorum vis aduersis fortunae casibus eluditur, quos praestare nec sapientissimus potest.

33. Ceterum, quoniam sapientia honestos fines honestis artibus obtinet, honestus autem finis esse nullus potest, nisi ad felicitatem pertineat, recte *sapientia* ab his definitur, qui eam *scientiam felicitatis esse* dicunt.

34. Sed non satis est remedia apta excogitare, et quid agendum sit, decernere, sed executio etiam decretorum accedat necesse est, si finem propositum obtinere velis. Quae quidem res duae non sunt profecto ita natura con-

coniunctae, vt, qui excogitare remedia poteſt, poſſit idem etiam bene ea exſequi. Experientia enim docet, multos excidere ſpe optima, minimeque id, quod volebant, conſequi, etſi, quibus rebus id conſequi debeant, minime ipſos fugiat, neque adeo ſapientia careant. Praeterea in ipſa operis executione, vt diximus, accidere poſſunt, quae optime excogitata remedia quaſi debilitent, et, vt careant euentu, efficiant. Itaque felicitatis ſtudioſus ad ſapientiam adiungat oportet illam totius vitae moderatricem *prudentiam*, h. e. habitum bene ſapienterque cogitata recte exſequendi, operamque det, vt impedimenta ſibi caſu obiecta tollat, omnesque cum ſecundae tum aduerſae fortunae caſus in rem vtilitatemque ſuam conuertat.

35. Id vt conſequatur, conſtituto fine, excogitatisque remediis, ſtatim tempus, locum, perſonas et omnia rei propoſitae momenta conſideret, et quid a quoque proficiſci poſſit, quod executionem aut etiam vim remediorum impedire et infringere, aut vtramque iuuare queat, multoque ante, quam ad rem ſuſcipiendam accedat, videat, quid impedimentis opponere, quomodo ea euitare, quomodo rem fortuitam quamque in vſum conferre poſſit. Hoc enim ſi ante fecerit, non modo aduerſis caſibus non conturbabitur, quod, vbi inopinato

obiiciuntur, facillime fit, sed etiam celerrime iis mederi poterit.

36. Sed quoniam fortuitorum nulla scientia est; quid enim in rebus incertis certo sciri potest? facile intelligitur, vnam experientiam prudentiae magistram esse, ab eaque hanc virtutem vnice petendam esse: quae ratio est, quamobrem senum esse prudentia existimetur, qui multum longumque rerum vsum habent.

37. Propriae autem experientiae locum tenere historiarum recte instituta tractatio, certe viam ad prudentiam breuiorem efficere potest. Recte autem et ad prudentiam comparandam accommodate historiam discet is, qui non, quod plerique faciunt, propterea solum discet, vt quid, a quibus, quoque tempore et loco actum sit, quid et quando cuique contigerit, sciat; sed simul etiam in causas inquiret, quare quidque et quomodo, quibus artibus, quibus vitiis actum sit, quare quidque acciderit, quae res fecerit, vt optima consilia infelicissimos euentus saepe habuerint, stultissima autem saepe optimos. Ita enim efficiet, vt, oblata re simili, recurrant ad animum aliena exempla, quae exsecutionem operis iuuare possint. In quo tamen magna cautio adhibenda est, ne, quae aliquam inter se similitudinem habent, plane similia esse iudicemus; quod qui faciet, frustra euentum eundem sperabit.

38. In-

38. Interdum omnia consilia eludit aliorum conscientia. Itaque prudentis erit, si quid inciderit eiusmodi, taciturnitatem adhibere, neque cum aliis cogitata et consilia communicare, sed propositum diligenter dissimulare.

39. *Imprudentem* autem dicemus eum, qui decreta non potest exsequi, qui rebus fortuitis perturbatur ac impeditur, neque eas in rem suam conferre potest, neque ipsa decreta, vbi opus est, celare. Quia autem fieri potest, vt, qui in certo genere prudens non est, in aliis tamen rebus prudentiam adhibeat, non omnem statim prudentiam abrogabimus his, quos aliquoties contra eam peccare vidimus.

CAP. III.

De moderandis Sensibus, Phantasia et Affectibus.

40.

SVpra aliquoties monuimus inimicos esse virtuti totique felicitatis verae studio sensus, cum phantasia et animi perturbationibus, atque operam dandam esse, vt in rationis gyrum ducantur et cogantur. Id nunc, qua ratione efficiatur, docebimus.

41. Natura ita facti sumus, vt, quae suauiter sensus mouent, voluptatemque afferunt, placeant nobis; quae autem iniucundum sensum habent,

displiceant, et mala nobis videantur. A sensibus phantasia imagines rerum perceptarum accipit, et seruat ita, vt redeunte ad animum rei olim perceptae imagine, instauretur simul voluptatis taediiue memoria, quae cum rei perceptione coniuncta olim fuit. Sensu denique et phantasia commouentur animi perturbationes, et ex his cupiditates horroresque existunt. (Psychol. §. 55. 75.)

42. Iam cum multae res suauiter sensus afficiant, quae, percepta voluptate, multo maius taedium gignunt, et contra multae tristem et iniucundum sensum habeant, quae tamen illam iniucunditatem paullo post voluptate cumulate pensant, (l. c. §. 61.) facile intelligitur, qui sensuum et phantasiae iudicio stant, et a perturbationibus animi abripi se patiuntur, saepissime vehementer decipi, et pro bono malum amplecti, adeoque ad miseriam redigi, et contra ea bona oblata e manibus dimittere. Ex quo efficitur, vt nisi quis sibi ab his sensuum et phantasiae ludibriis cauere possit, habeatque in potestate commotiones animi, non posse ad felicitatem peruenire. Item cum commotiones illae suo loco sapienterque a nobis concitatae magnum ad alacrius recta facienda et sectanda, mala auersanda et declinanda, adiumentum afferant (l. c. §. 81.); intelligitur, vel hanc ob caussam vtile esse commotiones

nes

nes quasque, vbicunque volueris, excitare posse.

43. Primum itaque hoc certum habeamus, planeque nobis persuadeamus, multas res suauiter quidem sensus afficere et insignes maximeque illustresque visus habere; neque tamen quicquam ad felicitatem prodesse, sed eam impedire potius, minimeque posse bonorum numero haberi: contra ea etiam multa tristem acerbumque sensum visumque habere, cum sint magno ad felicitatem adiumento. Quod quoniam difficulter animo persuadetur, inprimis, vbi diu sensuum et phantasiae iudicio paruit; adhibendus est magister vsus, aliorumque consideranda exempla, minime rara illa et quotidie obuia, vt quam fallax sit sensuum et phantasiae iudicium, et quam dura ac noxia sit seruitus, quae his seruitur, compertum nobis exploratumque reddatur.

44. Hac autem regula constituta, in omni vita tenendum est, vt sensibus quacunque re suauiter acerbeue motis et impulsis, aut oblata phantasiae insigni aliqua pulchritudinis deformitatisue, boni maliue, specie, primum iudicium assensumque sustineamus; deinde illam regulam in promtu habeamus, ac rationem in consilium adhibeamus, videamusque, verum bonum sit, nec ne, cuius species offertur, quomodo ad felicitatem veram referatur, et,

an ſit cum honeſtate et virtute coniuncta, nec ne? (*)

(*) Epictet: c. 5. Εὐθὺς πάσῃ φαντασίᾳ τραχείᾳ μελέτα ἐπιλέγειν, ὅτι φαντασία εἶ, καὶ οὐ πάντως τὸ φαινόμενον. Φαντασίαν τραχεῖαν interpretor omnem inſignem boni malique ſpeciem animo a ſenſibus et phantaſia oblatam, vt mortis, morbi, diuitiarum, imperiorum cet.

45. Quia autem ſenſus et phantaſia attentionem impediunt, et aſſumunt perturbationes animi, attentioni aeque ac rationi inimiciſſimas, multum vtique difficultatis ea res habet. Sed minuet difficultatem ea, quam diximus, felicitatis cupiditas et conceptum animo propoſitum omnia ad veram felicitatem referendi, denique ipſa frequens eius, quam dedimus, regulae cogitatio. Audenda modo res eſt forti animo, deuoranda breuis moleſtia, obturandusque animus ad omnes voluptatis et mollitiae inſidioſas voces et blandimenta.

46. Plurimum etiam proderit, attendendi vim non modo crebris exercitiis intendiſſe, ſed eam ita etiam in poteſtate habere, vt a quacunque re auertere et ad aliam transferre queas, ita denique in re vna defigere, vt nullius rei interuentu debilitetur aut interpelletur.

47. Tutiſſimum autem erit, ſenſus, ſi fieri poteſt, ab iis rebus plane auertere, quibus animus

mus vehementer moueri potest, omnesque occasiones studiose fugere quibus offerri sensibus et phantasiae irritamenta malorum possunt.

48. A sensibus et phantasia perturbationes animi proficiscuntur (Psychol. §. 63. 75.). Itaque, qui a sensuum et phantasiae seruitute liber erit, harum quoque tyrannidem facile effugiet; dimidium certe operis habebit, qui, quae in eam rem praecepta sunt, efficere studebit. In genere autem qua ratione et concitentur et depellantur, alio loco ostendimus. (l. c. §. 76.) Duobus autem sedandi animi modis, quos ibi tradidimus, quidam adiiciunt tertium, qui in eo positus sit, vt commotionem praesenti contrariam concitemus, et v. c. in locum laetitiae, tristitiam, in locum spei, metum migrare iubeamus. In quo modo, praeter auctam laboris difficultatem, nihil est quod magnopere reprehendendum putemus. Nam per se verum est, concitato affectu contrario extingui praesentem. Sed quoniam commotionibus contrariis, vt laetitiae et tristitiae interiecta est et a laetitia et a tristitia vacuitas; facilius est animum a commotione aliqua, vt tristitia, vacuum reddere, quam simul alterum etiam, vt laetitiam, inferre.

47. Summum et fere vnum sapientis officium in hoc genere in eo versatur, vt operam det, ne cum iis appetitionibus, quae cognitione

certa excitantur, et a ratione proficiscuntur, pugnent hae, quae ex commotionibus animi exiſtunt, atque animales dicuntur (Pſych. §. 83.) ſed vt amice inter ſe conſpirent, atque in eandem rem ferantur, ita tamen, vt non ab his illae vna abripiantur, ſed priores a poſterioribus iuuentur (l. c. §. 81.): Incidente autem inter vtrumque genus diſſenſu, (l. c. §. 87.) vt ſuperius genus illud vincat inferius, et commotiones animi rationi obſequi cogantur.

50. Vt autem commotiones ſub poteſtatem rationis redigantur, efficiendum eſt, vt aut opiniones falſae de bono et malo in genere conuincantur, aut male eas applicari oſtendatur. Nam omnis origo commotionis cuiuscunque a ſyllogiſmo quodam confuſe cogitato repetenda eſt, cuius propoſitio eſt generale aliquod enunciatum huiusmodi: Quod hoc modo ſe habet, v. c. quod voluptatem corpus ſuauiter mouentem ac delenientem, aut vtilitatem inſignem, diuitias, honores affert, id bonum eſt, quod ſecus ſe habet, malum. Huic propoſitioni adiungitur deinde, occaſione oblata, aſſumtio, in hunc modum: Res praeſens, quaecunque tandem illa ſit, hanc vim habet, vt aut voluptate me aliqua afficiat, aut laudem, honores, lucrum etc. afferat, aut contra. Atque ex hoc colligitur concluſio, qua tanquam tormento quodam concutitur et perturbatur animus:

Res

Res itaque illa inter bona aut mala est. (Psychol. §. 82. 85.)

51. Iam qui in omni ratiocinio reprehendendo et refellendo modus tenendus est, (log. §. 96.) is, quin hic etiam adhibendus sit, dubitari non potest, vt scilicet aut propositio aut assumtio refutetur, aut vtraque simul. Quod si ita factum fuerit, vt, quod desideret animus, nihil restet, non poterit non ipse animus sedari. (Psych. §. 85.)

52. Haec autem domandarum perturbationum ratio, quoniam ad omnia commotionum genera pertinet, facile poterit, perceptis commotionum notionibus et originibus, omnibus sedandis adhiberi; quod quidem per singula genera eundo, quomodo fiat, ostendere facile poteramus. Sed quia res facilis est, cuiusque studio eam breuitatis caussa relictam volumus. Duobus exemplis sat erit aliqua ratione monstrasse.

53. Laetitia est vehemens voluptas ex bono magno aut praesente, aut cogitato certe; tristitia autem insignis aegritudo ex huius generis malo. Laetitia igitur minuetur, si minus esse bonum ostenderis, ac videatur; expelletur autem, si, plane non esse bonum, viceris. Tristitia contra ea debilitabitur, diminuta mali opinione; sublata autem, extinguetur.

54. Non

54. Non parum autem haec res difficultatis habet, quod commotiones animi attentionem imminuunt, atque ita agitant animum et versant, vt non possit cogitationem diu habere in re vna defixam. Quae res facit, vt non possit argumentorum vis percipi, adeoque animus erroris conuinci. Haec difficultas maior est apud eos, qui non habent adsuetum percipiendis demonstrationibus animum, et in vero falsoque, in hoc saltem boni et mali iudicio, internoscendo exercitatum. Omnium autem difficillima est, cum falsae de bono et malo opiniones inueteratae sunt, et longo tempore confirmatae. Omnes enim opiniones diuturnitate adeo alte descendunt in animos, vt nulla pene earum euellendarum spes relinquatur.

55. Inprimis autem difficulter supprimuntur commotiones constantes, et quarum longa consuetudine quasi habitus contractus est, (Psych. §. 74.) Nam hae praeter opinionem nos opprimunt, adeoque non facile admittunt ea, quae proposita sunt, (§. 51.) remedia. Itaque inprimis cauendum est, ne eiusmodi consuetudo commotionum contrahatur. Si quis tamen eiusmodi consuetudine tenetur, vt, si iracundus est, ea, quae irae mederi possunt, diligenter atque etiam tum meditetur et cogitet, vbi nulla irae accessio timenda est; item, sedato animo et a perturbatione liberato, cogitet omnia ea,

ea, quae ante cogitare medendi causſa debebat. Nam ea res ſenſim imminuet habitus vim et pertinaciam, eumque tandem plane depellet.

56. Et quoniam alius ad aliud commotionum genus natura procliuior eſt (Pſych. §. 98.) ſuum quisque excutere animum debet, et, quo genere facillime commoueatur, explorare. Eo enim cognito, poterit mature remedia comparare, quae ei opponat, quibusque eius vim debilitet, ne in conſuetudinem tranſeat.

57. Sed non ſolum domandarum, verum concitandarum etiam commotionum ratio tenenda eſt, (Pſych. §. 81.) ne deſerant rationem, ſed nos potius in appetendis et declinandis veris bonis et malis iuuent. Id efficietur, ſi, quod nobis ratio bonum malumue eſſe oſtendit, etiam ad ſenſum referamus, hoc eſt, quae commoda aut damna ex ea re exiſtant ad ſenſus pertinentia, aut eos ſuauiter acerbeue mouentia, cogitemus. Nam ea cogitatione phantaſia commouebitur effingetque inſignem aliquam rei ſpeciem, qua non poterit non ipſe animus commoueri. Sed in ea cogitatione celeritas quaedam adhibenda eſt, vt phantaſia rerum copia quaſi obruatur, cum animus claris quidem ſed confuſis tamen rerum imaginibus commoueatur. Eodem modo aliorum animus commouebitur.

58. In hoc autem negotio multum etiam proderit noſſe, ad quod commotionum genus natura

natura propendeat animus. Hoc enim cognito, poterimus ita rem propositam cogitare, vt ad id potissimum bonorum malorumque genus referatur, quo id commotionum genus concitari solet. Vt, si quis meticulosus natura sit, animus malo proposito facillime commouebitur, si ad cogitanda damna et pericula conuertatur, quae ex eo existere possint et soleant.

CAP. IV.
De Voluntate emendanda et regenda.

59.

PErfectis et absolutis his, quae duobus superioribus capitibus praecepimus, voluntatis et emendatio et moderatio erit facilior. Praecipua certe vtriusque rei impedimenta quomodo tollenda sint, ex iis intelligi potest.

60. Summa autem hoc capite dicendorum huc redit, primo, vt ostendamus, quomodo appetitiones et declinationes rationi virtutique consentaneae excitentur; deinde, vt, quomodo voluntas corrupta, hoc est, quae in bona putatitia fertur, et mala putatitia auersatur, eo redigi possit, vt vera bona et cum honestate coniuncta sequatur, et vera mala, h. e. cum turpitudine coniuncta, fugiat.

61. Omnis res e iudiciis pendet, quae de bonis et malis feruntur. Nam ea voluntatis natura est, vt quicquid appetit, propterea sequatur,

quatur, quia bonum esse iudicatur, et, quicquid detestatur, propterea declinare studeat, quia malum iudicatur. (Psych. §. 85.) Ex quo intelligitur, voluntatis et moderationem et emendationem ab intellectu proficisci, atque adeo ab eius emendatione initium esse faciendum, operamque dandam esse, vt recte de bonis et malis iudicare discamus. Sed de hoc supra iam praeceptum est. (§. 2. 3.)

62. Quoniam autem experientia constat, multos esse, qui animum praestantissimis virtutis praeceptis imbutum habeant, ac quid rectum prauumque sit, praeclare sciant, neque tamen mores praeceptis rationis accommodent; quae eius rei caussae sint, quidque efficiat, vt ea cognitio pene nullam habeat in voluntatem vim, videndum est.

63. Eius rei caussam primam facimus hanc, quod haec bonorum malorumque, honesti et iusti scientia manca apud plerosque est et imperfecta. Nam plerique generatim quidem, quid bonum et malum, iustum et honestum sit, sciunt, et complexi animis sunt generales agendi formulas et leges, quales sunt, quae parte superiori propositae sunt; sed non habent eam, quam cum Sacro Codice αἴσθησιν vocaueris, nec αἰσθητήρια γεγυμνασμένα πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ, h. e. facultatem in omnibus vitae casibus et rebus singularibus regulas

gulas applicandi, et ex iis de rerum actionumque natura iudicandi. (conf. Psych. §. 86.) Quae res facit, vt multos vitium decipiat specie virtutis et vmbra, putentque interdum recte se honesteque feciſſe, vera bona secutos, vera mala aversatos esse, cum longe aliter sit. Itaque, qui voluntatem ad virtutis veraeque felicitatis studium conformatam cupit, in hoc iudicio actionum rerumque singularum ex generalibus formulis et regulis se exerceat, mirificeque caueat, ne de actione aut bono maloque iudicet ante, quam omnia rei momenta accurate considerauerit. Saepe enim, quod in se est bonum, tempore, loco, personis aliisque momentis, malum fit, et contra.

64. Alteram cauſſam a cognitionis modo repetendam putamus. *Cognitio boni et mali*, qua ad voluntatem refertur, duplex est, altera *viua* et efficax, *mortua* altera et otiosa. Vtraque in eadem re versatur, et ad easdem enunciationes pertinet. Sed superior eiusmodi est, vt habeat voluntatem sequacem; altera, vt nullam in voluntatem vim habeat. Viua autem et efficax multis rebus fit: primo, si certa ea est minimeque dubia, deinde si non generalis solum, sed rei propositae accommodata; porro, si praesens semper animo in ipso ad actionem acceſſu; praeterea, si commotiones animi non aduersas sed adiutrices potius habet.

65. Sed

65. Sed his omnibus recte se habentibus, nihilominus potest ad prauas actiones decernendas voluntas abripi, si qua male agendi consuetudo in aliquo genere contracta est. (Psych. §. 102.) Itaque inprimis cauendum est, ne qua huiusmodi consuetudo conscisatur. Quod quidem fiet, si, quod supra praecepimus, nihil vnquam agamus, cuius nobis non explorata sit, et bene cogitata ratio. Contracta autem consuetudine aliqua, operam demus, ne inueteraſcat, et nimis altas agat radices; sed, simul animaduersa est, remedia ei opponamus, quae statim subiicientur. Quo enim est consuetudo recentior, eo est ad depellendum debilior, et, vt quaeque diuturnior, ita solet esse ad deponendum difficilior. Omnium autem consuetudinum deiiciendarum hic modus est, primo, vt eius prauitatem et ad perniciem vim certa ratione agnoscamus (Psychol. §. 85.); deinde sedulo cauendae occasiones eius generis actionum susciipiendarum, quae ad eam consuetudinem pertinent; tertio, quia non possunt semper euitari occasiones, et saepe praeter opinionem incidunt, adhibendum est non modo illud propositum, et illa cautio, nihil temere et non satis cogitate faciendi, (§. 22.) sed etiam ardor ille et studium omnia ad veram felicitatem et virtutem referendi (§ 9.); denique studiose quaeratur, imprimis vbi intermissione aliqua ex

parte debilitata est consuetudo, occasio edendae actionis, his plane contrariae, quibus consuetudo orta est, sed cum firma et certa propositione animi, et pectore certis argumentis aduersus consuetudinem prauam munito et armato, plenoque earum rationum, quibus ad actionem propositam alacriter suscipiendam commoueatur. Ita sine dubio praua consuetudo non modo paullatim debilitabitur, et tandem debellabitur, sed etiam contraria, virtutique consentiens parabitur: quod quanquam difficile et diuturni temporis res est; non tamen plane desperanda est, cum nihil tam difficile sit, quod non assiduitate et constantia expugnari vincique possit.

66. Non magis autem pernicioſae sunt prauae consuetudines, quam honestae contra ea vtiles. Efficiunt enim, vt segnius multo et obtusius nos irritent, quae alioqui maximam vim habent ad conturbandos nos et ad vitium abripiendos. Facto itaque honestarum actionum genus suscipiendi initio, gnauiter nos in eo genere exercere, omnesque occasiones studioſe debemus quaerere ac captare, quibus eius generis actio suscipi queat.

67. Huiusmodi autem consuetudines aeque ac turpes facillime in pueritia, cereo adhuc animo et in quamcunque formam flexibili, contrahuntur.

huntur. Itaque parentes, et omnes hi, qui formandae puerili aetati operam nauant, sedulo videant, vt eam actionibus honestis perpetrandis assuefaciant. Sed de hoc infra dicemus.

CAP. V.
De Corporis Cura.

68.

CVra corporis iis officiis continetur, quae ad vitam valetudinemque tuendam, integritatem sensuum, omniumque membrorum seruandam, ad cibum et potum, victum, amictum, ceterasque vitae necessitates cum comparandas, tum recte moderateque vsurpandas pertinent. Horum omnium superiori parte explicata est ratio; nunc quibus momentis ad ea officia seruanda inducendus animus sit, videamus.

69. Et vitam quidem, rectamque valetudinem vt tueatur, facile quemque mouebit ea, quam quisque natura sentit vitae valetudinisque dulcedo, quae tanta est, vt plerique citius maxima pericula et grauissima certamina subeant, et quaecunque damna contemnant, quin adeo officia honestatemque deserant, quam ea se priuari sinant. Sed incidunt tamen casus, vbi homines, inprimis hi, qui atra bile laborant, calamitatibus, morbis et doloribus eo redigun-

tur, vt mortis consilium capiant, et vitae voluntariam mortem praeferant. Quosdam etiam tanta cepit voluptatis, gloriae diuitiarumque cupido, vt in iis sequendis neque vitae, neque valetudini parcant.

70. Hi vero diligenter cogitare debent, primo, nullam rerum humanarum neque vita, neque valetudine praestantiorem esse, et vitam semel amissam nunquam, valetudinem autem saepe recuperari non posse, et, si recuperetur, infirmiorem tamen minusque durabilem esse atque antea fuit; deinde non nobis solos nos natos esse, sed coniugibus etiam, liberis, cognatis, patriae, salutique publicae, atque adeo, praeoccupata morte, hos deseri, quibus vlterius, pro modo quisque suo, prodesse et poterant et debebant, valetudine autem corrupta, facultatem viresque amitti, quibus ad ea officia praestanda opus est.

71. Absterrebuntur etiam ab his, quae valetudini nocent, corporisque vires debilitant, et ad parcendum valetudini commovebuntur, qui cogitabunt fragilitatem valetudinis, totiusque corporis humani, et dolores, quibus interdum acerbissimis excruciantur, qui morbis, inprimis culpa contractis, laborant; qui quidem eo molestiores fiunt, quod sunt cum dolore animi et perturbationibus, vt poenitentia, pudore, indignatione et metu mortis coniuncti.

72. Quos

72. Quos autem prae calamitatibus aut corporis doloribus vitae taedet, si culpa vacui sunt, fortis animi et magni esse reputent, miserias et dolores quoscunque patienter ferre, diligenterque eorum exempla intueantur, qui acerbissimos cruciatus aequissime tulerunt. Illud etiam cogitent, calamitates huiusmodi hanc vim habere, vt animus a voluptatibus, aliisque rebus inanibus abducatur, et ad cogitandas res graues et serias, atque ad felicitatem pertinentes traducatur. Inprimis id persuasum habeant, nullam calamitatem, nullum cruciatum natura tantam vim habere, vt tranquillitatem animi omnem tollere, ac eam voluptatem, quae a virtute proficiscitur, plane extinguere possit; quod quidem multis exemplis declarare possemus; adeoque magno indicio esse, animum rebus vanis adsuetum, minimeque imbutum vera virtute, si quis doloribus et calamitatibus ita perturbetur, vt vitam prius dimittere, quam has perferre velit.

73. Qui a valetudinis cura voluptatis amore abducuntur, considerent breuem et facile transeuntem rem voluptatem esse, ea autem, quae e percepta immoderate voluptate, cum ea, quae a cibo et potu, tum etiam illa, quae a rebus venereis proficiscitur, in corpore consequantur, grauia non modo et acerba esse, sed etiam diuturna, ac ita saepe pertinacia, vt nihil iis mederi possit.

74. Ne quis autem ambitionis aut auaritiae ſtudio nimios labores in ſe ſuſcipiat, grauioresque, quam quos ferre, ſine valetudinis detrimento, poſſit, aut, eadem auaritia inductus, durius aequo corpus habeat, atque ita valetudini noceat; operam det, vt vtrumque vitium ex animo depellat, de quo poſtea dicemus. Praeterea cogitet, quod immodicis laboribus aut aliis rebus corpori et valetudini nocentibus breui tempore comparatur, modicis laboribus etiam, ſine vllo valetudinis diſpendio, parari poſſe, ſi longius temporis ſpatium ſumatur, aeque adeo, cum immodicis laboribus ac duro nimis vitae genere mors acceleretur, modicis autem laboribus et cura corporis recta valetudo conſeruetur et vita prorogetur, nihil commodi ex nimis laborioſo et duro vitae genere, ſed multum potius damni, niſi ſibi, aliis certe, coniugi v. c. liberis, amicis, reipublicae, exiſtere.

75. Praecipuum conſeruandae valetudinis adiumentum in temperantia poſitum eſt; quemadmodum contra ea nihil magis ei nocet ac intemperantia. Illam itaque cui cara valetudo eſt, ſequatur, hanc fugiat. Quare hunc locum eſſe putamus, quo de vtraque dicendum eſt.

76. *Temperantia* cum in deligendo tum in capiendo cibo delecto cernitur; temperantemque hunc dicimus, qui neque ſumit cibum potumque, etiam noxium, ſolius voluptatis ſtudio ductus,

ductus, neque plus capit ac sanitatis ratio requirit; intemperantem autem eum, qui vnam voluptatem in cibo et potu sequitur, et non solum noxium cibum et potum, modo palatum suauiter afficiat, sed etiam cum noxium tum salubrem ea copia sumit, vt valetudini noceatur.

77. Ad temperantiae autem studium compellere quemque debet ille ipse, qui cuique insitus est, valetudinis rectae amor; qui quidem, cogitatis accurate, quae valetudo plurima et maxima habet, bonis, aut excitabitur, si, quod rarissime accidit, non adsit, aut confirmabitur certe et intendetur. Ad hunc accedat non modo certa minimeque dubia persuasio, nihil valetudini magis prodesse temperantia, nil magis obesse intemperantia, sed etiam habitus de cibo et potu, eiusque recta mensura et copia quoque loco et tempore iudicandi. Si enim primo certo constiterit cibum aliquem aut potum quamuis suauem esse noxium, aut, si plus cibi potusque sumatur, id certo fore valetudini detrimento; deinde excites in animo amorem valetudinis, et percipias adeoque eam voluptatem, quae ab eo amore proficiscitur, eaque superet illam ipsam voluptatem, quae ex sumto cibo et potu speratur, non poteris non temperantiam sequi.

78. Sed sunt, qui malle se dicunt vitam breuem omnibus voluptatibus affluentem, quam

longam et minus voluptatis habentem. Hi vero cogitare debebant, primo morbos, qui ex voluptatibus oriuntur, non solum breuiorem vitam, sed moleſtiſſimam etiam efficere, omnemque voluptatis vſum impedire; deinde mortem abſentem facile contemni, minime autem proxime inſtantem. Nam ſaepe accidere ſolet, vt etiam ſenes homines, qui diu vitae pertaeſi videbantur, nihilque magis ſe dicebant optare, quam vt corporis vinculis liberentur, appropinquante ac inſtante morte, eius metu et terrore commoueantur. Quid itaque hos fiet, qui, voluptatibus corporis adſueti, ſibi e vita migrandum vident, ac omnium voluptatum corporearum finem adeſſe? Illud intemperantiae genus, quod in nimio potu ſumendo peccat, hoc etiam mali habet, quod *ebrietatem* affert, hoc eſt, eiusmodi hominis ſtatum, quo omnis, et rationis, et ſenſuum et membrorum corporis vſus impeditus non modo eſt, ſed interdum plane etiam ad tempus perit, vnde *ebrioſitas* dicitur: qua nihil poteſt turpius eſſe, atque rationi excellentiaeque naturae humanae repugnantius.

79. Hoc intemperantiae genus vt vitemus, ſaepe diligenterque incommoda, quae ex ebrietate, praeter ea, quae ei cum omni intemperantia communia ſunt, plurima et maxima exiſtunt, cogitare debemus. Ebrii enim, quia ratione recte

recte vti non possunt, eo feruntur, quorsum occasionem sensibus suppeditantibus a phantasia et perturbationibus, vt ad rixas, caedes, stupra, cetera rapiuntur, omnia temere effutiunt, de quibus celare eos debebant, quibuscum vna sunt, liberius atque inconsiderantius loquuntur de aliis eorumque factis, ex quo multae deinde molestiae oriri possunt. Quae quidem omnia ita aperta sunt, ita multis exemplis confirmata, vt nemini dubia esse possint.

80. Si quem autem, quod interdum fit, praeter opinionem, ebrietas opprimat, perceptis molestiis, quae ebrietatem consequuntur, secum ita statuat, vt nunquam velit in eam iterum incidere; quod quidem eo facilius fiet, quo magis solent, vt omnium peccatorum, ita ebrietatis etiam effecta poenitentiam pudoremque excitare. Sed quoniam male agendi occasiones magnam vim habent ad debilitandum animi propositum, opera danda est, vt omnes occasiones ebrietatis euitemus.

81. Quam intemperantia in cibo et potu sumendo, eam etiam, imo maiorem in veneris vsu vim habet. Nam qui in eo vnam voluptatem sequuntur, et frequentius veneri indulgent, non vires solum corporis debilitant, sed varios etiam, quod nemo ignorat, eosque acerbissimorum dolorum morbos sibi contrahunt, qui saepe etiam vitae periculum adferunt. Itaque,

vt eam virtutem, quam caſtitatem dicimus, ſequamur, diligenter omnia haec libidinoſorum incommoda non modo, ſed etiam caſtitatis commoda, rectam valetudinem, robuſtum corpus, atque omnia ea cogitemus, quae de valetudine curanda diximus.

82. Quoniam autem multa hanc vim habent, vt homines ad libidinoſas actiones exſtimulent, vt cibus et potus intemperanter ſumtus, ea cibi horum et potus genera, quae natura calidiora ſunt et ardentiora, picturae et hiſtoriae obſcoenae, quae, vt Horatius ait, peccare docent, carmina item ſpurca et ſermones impudici, commercium cum hominibus impuris, haec omnia caſtitatis ſtudioſo diligenter fugienda ſunt.

83. Omnis intemperantiae, cum in cibo et potu, tum in venereis rebus cauſſa, voluptatis corporeae amor eſt. Nihil itaque in temperantiae ſtudio profecerit, qui hunc non ex animo eiectum iuerit. Eius remedia multa ſunt, pro ingenio cuiusque, deligenda et adhibenda. Huius autem loci propria ſunt ea, quae a valetudinis corporisque cura petuntur.

84. Plerisque rebus, quae ad conſeruandum tuendumque corpus humanum, et ad generis humani propagationem pertinent, natura adiuncta eſt quaedam voluptatis perceptio, hoc conſilio, vt ad eas appetendas vſurpandasque homines inuitentur, et ipſe earum vſus ſuauiorem efficiat

efficiat humanam vitam, atque aliquam ad felicitatem vim habeat. Sed si hae res non per se, aut seruandi corporis propagandique generis humani caussa, sed propter voluptatem solam appetuntur, necessario oritur quaedam in his rebus intemperantia, quae quam sit pernicioſa, in superioribus declaratum est, atque ita quod ad salutem et felicitatem humanam comparatum est, ad perniciem conuertitur. Itaque quibus de caussis intemperantia omnis, ob easdem etiam intemperantiae mater voluptas fugienda est.

85. Praeterea experientia constat, eas res, quae corpus vehementi voluptate cient, idem etiam vehementer debilitare, faciliusque corpus humanum graues difficilesque labores, quam magnas frequentesque voluptates perferre; vt citius laborioſi, quam voluptatibus dediti ad senectutem perueniant. Sed si qui etiam natura ita robustum habent et firmum corpus, vt voluptates diu sustinere queat; senectuti tamen effoetum et infirmissimum corpus tradunt, quae ipsa res difficilem eam moleſtissimamque efficit.

86. Plane autem rationi aduersatur, ob breuissimum et celerrime transiturum suauitatis alicuius sensum, diuturnas sibi moleſtias contrahere, quin etiam, vt breuis ista voluptas percipiatur, tot tamque periculoſas saepe moleſtias subire, tot impensas facere, famam periculo exponе-

ponere. Itaque vel hoc nomine spernenda est et fugienda voluptas, et contra omnes eius illecebras obfirmandus et quasi obturandus animus; in quo inprimis magnus animus cernitur.

87. Sed si quos etiam tantus voluptatis amor tenet, hoc debent cogitare; si velint plenam et tantam ex re aliqua voluptatem percipere, quanta percipi potest, raro esse eam rem, eam voluptatem vsurpandam. Ipso enim vsu frequenti voluptas rei minuitur, et quotiescunque voluptatis genus aliquod percipitur, toties aliquid ex voluptate perit et decedit. Sunt praeterea alia incommoda, quae voluptatem sequuntur; sed, quia aut ad rem familiarem aut famam pertinent, de iis suo loco dicemus.

83. Post vitae valetudinisque curam proxima, immo cum ea coniuncta esse debet, quae ad sensuum omniumque membrorum integritatem pertinet. Eam nobis commendet fragilitas corporis humani omniumque membrorum diligenter cogitata. Facilius enim membra franguntur, quam sanantur; saepe ne possunt quidem sanari. Cum ipsa autem curatione huiusmodi, longinqua plerumque et pretiosa, grauissimi acerbissimique dolores coniuncti sunt, et omnium negotiorum laborumque intermissio, qua et aegritudo animo et detrimentum rei domesticae adfertur.

89. De

89. De ſenſuum multo magis ac membrorum integritate conſeruanda ſolliciti eſſe debemus. Nam amiſſus ſemel aut obtuſus ſenſus nunquam acui rurſus aut recuperari poteſt, et ſero plerumque homines hebetatorum ſenſuum poenitet. Praeterea multas moleſtias habent, multasque in variis rebus, multisque vitae humanae partibus difficultates afferunt ſenſus hebetes, aut plane corrupti. Cauendum autem eſt, ne nos decipiat ea, quae multos decipit, opinio, quaſi nihil ſenſibus noceat, quod non ſtatim, cum ſemel iterumque factum eſt, ita nocet, vt ſentiatur.

90. Ea officia, quae ad cultum et domicilium pertinent, vt obſeruemus, quia a corporis valetudinisque cura proficiſcuntur, ea efficient maximam partem, quae de valetudine curanda diximus. Sed aliunde etiam argumenta peti et incitamenta poſſunt, de quibus capitibus ſequentibus dicetur.

CAP. VI.
De Cura Rei Familiaris.

91.

IN adminiſtranda re familiari omnis auaritia, negligentia, profuſio et luxus, illiberalitasque fugienda eſt, continentiae, parſimoniae, liberalitati et beneficentiae, diligentiaeque ſtudendum.

dum. Summa autem lex rei familiaris quaerendae et administrandae haec est, ne in quaerenda iustitia, in administranda autem cetera officia, quae nobis aliisque debemus, laedantur. Primum itaque haec officia seruare cupienti illud esse debet, vt ea officia, quae animo, vitae, valetudinique, quae aliis, parentibus, coniugibus, liberis, reipublicae debemus, cognita habeat, illudque, de quo supra diximus, propositum ceperit, ne quid agatur, quod contra honestatem et iustitiam, contra officium sit.

92. Ne quis furetur, aliisque aut vi, aut fraude sua eripiat, et ad se trahat, inprimis illud, quod maxime est rationi consentaneum, cogitet, quo animo sit laturus, si quis sibi aliquid aut palam aut clanculum abstulisset. Si autem non sit ita erecto et nobili animo, vt haec cogitatio aliquam vim habeat, turpitudinem etiam et infamiam, periculum, poenas ciuiles adhibeat, quae mala singula grauiora sunt commodis, quae ex furtis comparari aut sperari possunt. Ne autem ita se latere posse existimet aut speret, vt nullum sibi periculum timendum sit, qua stultitia omnes, qui hoc iniustitiae genus admittunt, tenentur, magnum eorum numerum cogitet, qui in ipsi furto et fraude deprehensi sunt, qui se ipsi prodiderunt, et, si impune etiam aliquandiu eiusmodi maleficia exercu-

ercuerunt, tandem tamen cogniti sunt, et poenas suas turpitudinemque tulerunt.

93. Praeter hos autem turpes quaerendae rei modos etiam alii sunt, qui sunt a furto quidem, vi, fraude ac dolo iniustitiaque liberi, sed turpes tamen minimeque rationi consentientes, vt lenocinium, meretricia, ceterique his similes, a quibus omnibus, cogitata diligenter turpitudine, infamia, poenis etiam publice propositis, damnisque ad animum et corpus pertinentibus absterrebimur. Quae vt maiorem vim habeant, adiungantur exempla eorum, qui post diuturnum huiusmodi lucri turpis studium, praeter infamiam, et corruptum corpus nihil reliquum habuerunt, quod longe aliter accidisset, si honesta ratione vitam degere voluissent.

94. Qui autem his modis quaerendae rei vtuntur, partim ignauia, partim auaritia ducuntur. Quoniam enim laboris molestias fugiunt et sine sudore cupiunt ea parare, quae ad vitam non modo conseruandam sed etiam cum voluptate transigendam pertinent, ab aliis petendum sibi putant, quod a labore petendum erat. Qui autem auaritia tenentur, quoniam nunquam sibi satis habere videntur, quocunque modo rem familiarem augere, et exaggerare diuitias student. Oblata itaque occasione rei parandae non possunt eam dimittere, sed, neglecta etiam iustitia et honestate, arripiunt. Quare, si quis sibi ab iniu-

iniuſtis et turpibus rei quaerendae modis cautum cupiat, inprimis operam dare debet, vt ignauiam omnem et auaritiam ex animo eiiciat et euellat.

95. Ignauia e voluptatis amore oritur. Itaque hoc depulſo, (§. 85.) et ipſa depelletur. Auaritia autem multas variasque cauſſas habet. Interdum enim e metu inopiae et futuri oritur, interdum e pecuniae diuitiarumque amore, interdum ex ambitione, denique etiam e voluptatis cupidine.

96. Qui ob eam cauſſam auari ſunt, quia metuunt, ne difficilia tempora incidant, et ne non ſit aliquando, vnde viuant, diligenter cogitare debent, nunquam accidere poſſe, vt, ſi velint operam adhibere, neque laborem ſubterfugere, non poſſint tantum, quantum natura deſiderat, parare. Pauca enim natura deſiderat, inprimis apud hoc hominum genus, quod plerumque corpus in cibo et potu totoque cultu duriter habere ſolet. Et quoniam fieri poteſt, vt, morbis aliisque rebus impediti, non poſſimus, quibus opus eſt, parare; docendi eiusmodi homines ſunt, aut, tantum ipſis, quin multo plus eſſe, ac in eiusmodi caſibus opus ſint habituri, aut futuros, qui eorum inopiam ſint benignitate ſua ſubleuaturi, aut, quod optimum eſt, honeſto modo ſe poſſe tantum lucrari, quantum ſatis ſit futurum. Magnam etiam vim habebit,

bebit, huiusmodi homines fiducia in benignitate diuina imbuere, cuius vim alio loco declarabimus.

97. Qui diuitiarum amore auari sunt, nihil diuitiis praestabilius esse putant, easque summi boni loco habent. His vt medeamur, dedocendi sunt eam opinionem (§. 17.) docendique primo cum rationibus, tum exemplis, non esse ita felicitatem cum diuitiarum possessione coniunctam, vt non possit vel ditissimus idem miserrimus, et pauperrimus idem felicissimus esse: deinde, si quam habeant diuitiae ad vitae beatitatem vim, eam non ab ipsis diuitiis, sed ab earum recto vsu proficisci, h. e. cum non solum ad necessitates vitae, sed iucunditatem etiam et decus, aliosque iuuandos ornandosque adhibeantur; Qui enim non hoc modo vtatur opibus, nihilo plus ei, ac quibuscunque aliis vel pauperrimis, diuitias suas prodesse: denique vnum aduersum casum interuenire posse, qui vnus dissipet et auferat omnia, quae multorum annorum labore parta et congesta sint; itaque minime dignas esse tanto honore et amore diuitias.

98. His autem, qui propterea pecuniam vndique corradunt, vt eo plus habeant, quod voluptatibus impendant, aut quia ambitiosi sunt, magnoque sibi honori fore putant, si diuitum numero habeantur, his, inquam, medebimur, si, quo monstrauimus, modo voluptatis amorem

extinguamus, et aut ambitionem ipsam depellamus, aut ostendamus certe, minime honori diuitias esse, exemplisque allatis vincamus, multos ditissimos cum summa ignominia aut contemtu certe vixisse. Sed de ambitione sananda capite proximo dicemus.

99. Cum auaritia, h. e. studio plura habendi ac ad necessitatem, iucunditatem, et decus vitae humanae opus est, aut honesto et iusto modo comparari potest, coniuncta interdum est, vel eius potius genus est, illiberalitas, vbi scilicet ipsa auaritia e futuri temporis metu, aut ipsius pecuniae amore trahit originem; nam quae e voluptatis amore, aut ambitione oritur, inprimis ea, quae honores magnos, laudem et gloriam appetit, luxum potius et profusionem quam sordes affert. Sublata itaque auaritia, illiberalitas etiam tolletur, iisdemque argumentis sanabitur, quibus ea auarorum genera sananda esse diximus. Adiici autem illis et hoc poterit, nihil esse homine sordido contemtibilius, magisque omnibus inuisum et ridiculum. His autem, qui propterea sordidi sunt, quia dura pueritia vsi sunt, adeoque in ipsis sordibus suis, quia eas cum inopia pueritiae comparant, lauti sibi esse videntur, aut aliquid reliqui habent ex inopiae metu, qua in pueritia vrgebantur, inprimis aperienda est illiberalitatis caussa, qua cognita, facile intelligent, alios sibi, posteaquam rem repere-

pererunt, mores assumendos, alium cultum et victum adhibendum esse, minimeque sibi ita esse ab importuna pauperie, vt olim, timendum.

100. Auaritiae et illiberalitati profusio bonorum et luxus opponuntur. Cui vitio coërcendo adhibebimus inopiae et paupertatis cogitationem et metum, quae plerumque gigni ex hoc vitio solet, quaeque his, qui in omnium rerum affluentia diu fuerunt, multo molestior est ac reliquis, quibus ea perpetua fuit. Si cuius autem tantae fortunae sunt, vt in maximo etiam luxu nihil ei sit a paupertate timendum, cogitare tamen debet insignem diuitiarum diminutionem, quam luxus affert, eamque pecuniam quae gulae, et cultui nimio impenditur, rectius et glorioſius posse ad vtilitatem publicam conferri. Denique si cum diuitiis potentia coniuncta est, profusionis magnam esse ad iniustitiam vim. Dilapsis enim diuitiis plerumque potentiam ad rapinas, caedes, graues exactiones tributorum adhiberi, quod et iniustum est per se, et vtilitati publicae, cui omnes studere debemus, et ad quam potentia adhiberi debet, maxime repugnat.

101. Plures autem sunt luxus et profusionis causſae. Alii enim negligentia et incuria, futurorumque omissa cogitatione, alii voluptatis nimio amore, alii denique ambitione ad effundendas opes trahuntur.

102. Quare, si e voluptatis studio aut ambitione luxus trahit originem, voluptatis amor extinguendus, aut ambitio debellanda est. Ipsa etiam voluptatis honorumque cupido ad luxum minuendum conuerti potest, si ostenderis, qui voluptatis honorumque et laudis cupiditate ducantur, curare debere, vt ea perpetua sint; molestissimum enim esse post voluptates diuturnas omni voluptate carere, et omnium contemtui expositum esse, vbi diu in summo honore et laude vixeris. In profusione autem et luxu maximum esse periculum, ne paupertate omni voluptate pristina priuemur, ab iisque contemnamur, a quibus ante propter diuitias, lauta conuiuia, largitiones summis laudibus efferebamur.

103. Qui autem futurorum incurioſi nimios sumtus, h. e. maiores faciunt, ac necessitas, iucunditas et decus vitae requirunt, aut voluptatis amore a futuri cogitatione abducuntur et abstrahuntur, aut praua consuetudine in pueritia contracta, aut nimia in fortuna secunda fiducia, ac stulta perpetuae fortunae opinione. Qui enim voluptate ducuntur, omnem laborem etiam feriae cogitationis fugiunt, et omnia molesta putant, quae non sunt cum voluptate aliqua sensus mouente coniuncta. Itaque non possunt sibi imperare, vt accepta et expensa, reditus et sumtus inter se comparent, atque expen-

expendenda accipiendis attemperent, ne possint aliquando in paupertatem praeter opinionem incidere. Porro quibus contigerunt parentes aut diuites, aut eiusmodi certe, qui habuerunt vnde et ipsi viuerent, et liberis, quae opus essent, praestarent, horum plerique, quia nihil ipsis defuit vnquam, paupertatis et inopiae vim non intelligunt, neque sciunt, facilius consumi pecunias quam parari, eamque ob caussam nec timent paupertatem, nec sibi persuadere possunt, breui tempore, multoque citius quam putant, omnes facultates suas absumi posse, eamque ob caussam nec de augenda, nec de conseruanda re magnopere laborant. Denique qui fortunam aliquandiu propitiam habuerunt, facile sibi persuadent, se eam plane habere in potestate sua, neque fieri posse, vt ab se discedat. Itaque fortunae donis facile ad luxuriam et magnificentiam abutuntur.

104. Primo incuriae generi adhibenda sunt ea, quae voluptatis et profusionis ex voluptatis amore ortae remedia esse demonstrauimus. Alteri generi occurrendum ita est, vt ostendatur aliam longe adultorum esse rationem atque olim fuit, cum sub parentum cura agerent; difficile esse rem parare, facile autem, perdere; multa exempla esse eorum, qui nunquam putarint, consumi eam pecuniam posse, quam haereditate aut quacunque fortuna acce-

perant, sed opinione citius absumtam esse, atque ipsos miserrimos factos; denique nihil durius esse, nihil acerbius, quam post tot annos commode transactos iis rebus egere, quae ad vitae necessitatem pertinent; quod vt maiorem vim habeat, miseria eorum hominum, viuis exemplis adhibitis, exaggeranda est, quibus vnde viuant, corpusque tegant, non suppetit. Sed optime ab hoc genere incuriae liberos poterunt parentes munire; de quo suo loco. Tertio generi incuriae opponenda est cogitatio inconstantis mutabilisque fortunae, et exempla eorum, qui post diuturnam fortunam secundam, aduersissimos casus experti et miserrimi facti sunt.

105. Restrictior effusione, sed auaritia laxior atque in virtute est parsimonia et frugalitas, quae vt non minus, ita nec plus sumtuum facit, quam necessitas, iucunditas et decus vitae postulat. Ea facile obtinebitur vacuo ab istis vitiis animo. Quare qui aut ab eis intactus et purus est, aut ea ex animo expulit, facile in administratione rei familiaris parsimoniam seruabit. Ad eam autem compellere nos ac incitare ea omnia debent, quae contra luxum inprimis dicta sunt. Recte Cicero, magnum vectigal esse parsimoniam dixit. Qui enim eam in re administranda non modo, sed quaerenda etiam adhibet, et sumtus ita acceptis accommodat, vt factis impensis aliquid ex acceptis restet, sensim paullatimque aut

auget

auget rem, quam habebat, aut reperit, quam non habebat, atque ita, quantum in ipso est, se aduersus paupertatem et indigentiam munit et securum reddit, quod magno esse, senectuti futurae solatio potest. Ea enim aetate cum corpus debile et vires tenuissimae esse soleant, non possumus tantum laboribus, quantum, cum iuniores validioresque essemus, lucrari, Itaque, qui firmiori aetate aliquid ad futuros vsus reposuit, multo aequius senectutem ferre poterit.

106. Parsimoniae ad rem quaerendam, seruandam atque augendam adiungi diligentia potest, cuius et maxima in hoc genere vis et praecipua laus est. Qui enim haereditatibus aliisque fortunae secundae casibus rem consequuntur, nihil habent, quod de se praedicent, quibus id accidit, quod pessimo cuique et accidere potest, et saepe accidit. Qui autem et frugalitate et diligentia rem reperiunt et augent, virtute sua se rem sibi parasse, iure gloriari possunt.

107. Diligentiam autem quare in eo quisque genere adhibere debeat, ad quod se applicuit, multae caussae sunt, eaeque partem omnibus communes, partem certo hominum generi propriae. Ad omnes pertinent haec: primo, cum cuique vitae generi finis certus propositus sit, qui obtineri nequeat, nisi omnes insti-

tutae vitae partes, omnia munera diligenter obeantur, ſtultum eſſe eam diligentiam adhibere nolle, ſine quibus id, quod quaerimus, aſſequi nemo queat; deinde, eam eſſe mentis et corporis noſtri naturam, vt diligentia aſſiduisque, ſed vires tamen non excedentibus, laboribus excolatur et perficiatur; poſtea, natos nos eſſe ad iuuandos alios et communem vtilitatem curandam, quod ſine labore multo nequeat fieri; item, homines natura voluptatem capere ex rebus praeclare a ſe geſtis; ac ipſam adeo diligentiam ad felicitatem humanam vim magnam habere, et quae alia ſunt huius generis. Ad eos, quibus tenuis res aut nulla eſt, hoc fere pertinet: diligentiam eſſe vnam rationem honeſte tranſigendae, ſi vires ſuppetant, vitae; neque enim ab aliis honeſte peti poſſe, quod ipſi parare poſſimus. Qui autem in re magna et lauta ſunt, vt non habeant opus, vitae ſuſtentandae cauſſa labores in ſe ſuſcipere, propterea tamen debere ſe cogitent diligentiam ſequi, ne diminuantur, ſed conſeruentur potius et augeantur diuitiae, inprimis vbi habent, quos fas eſt, alere, quibusque relinquere, quod eſt opus, decet.

108. Diligentiae opponitur otium, cuius amor ex ignauia naſcitur; cui, quomodo medendum ſit, ſupra docuimus. Nimiis autem laboribus ne quis ſe defatiget, argumenta eo loco

loco propoſita ſunt, quo de valetudine curanda praecepimus.

109. Frugalitati autem et diligentiae, qui ſunt in re lauta, adiungere eam virtutem debent, quae liberalitas et beneficentia dicitur, qua nihil magis diuitias ornat, quaque non adhibita, nulla diuitiarum vera laus eſſe poteſt. Ad hanc autem liberalitatem vt opes conferamus, multa ſuadere pro ſua quemque natura et ingenio poſſunt. Nam etſi quaedam ſint liberalitatis argumenta omnibus communia; ſunt tamen quaedam etiam certis ingeniis propria.

110. Facillime ad liberalitatem exercendam commouebuntur, qui eo, quem omnibus hominibus, inprimis miſeris et bene merentibus debemus, amore animum imbutum habent; (Pſychol. §. 67.) qui qua ratione excitetur, paullo poſt docebimus. Praeterea vero id cogitare debemus, quo nullum nobilius argumentum benefaciendi afferri poteſt; hac lege quemque et conditione natum eſſe, vt quemadmodum membrum quodque corporis reliqua pro natura et viribus ſuis, ita ipſi reliqua ſocietatis humanae membra, quantum poteſt, adiuuemus.

111. Qui laudis et gloriae aliqua cupiditate ducuntur, nihil cogitent eſſe ad gloriam comparandam accommodatius liberalitate. Nam

vt quisque est liberalior et beneficentior, ita solet et a pluribus et laudibus maioribus efferri. Nemo enim est, quin accepto beneficio laetetur, eumque amore prosequatur et laudibus, a quo beneficium accepit, si non semper, eo certe tempore, quo beneficium accipit, eiusque adhuc recens est memoria.

112. Auarus, depulsa auaritia, adhibitisque argumentis paullo ante allatis (§. 98.) ad liberalitatem conuertetur, adiecto inprimis, quod ille apud Terentium monet: pecuniam negligere in loco interdum maximum esse lucrum; qui autem natura sunt ad liberalitatem non modo, sed omne genus profusionis propensi, non illi calcaribus quidem, sed frenis tamen opus habent, diligenterque monendi argumentis supra propositis sunt, (§. 101.) vt sint etiam in largiendo paullo restrictiores, et non modo moderationem, sed etiam, id quod ad reliquos etiam pertinet, diligentiam adhibeant, ne ipse liberalitatis fons exhauriatur, et quod aliis praestant, ipsi tandem aliquando, et frustra fortasse quidem, ab aliis expectare cogantur.

113. Vt autem dilectum liberalitas seruet, nullisque nisi idoneis, h. e. aut egentibus aut bene de nobis quocunque modo meritis commodet, facile his argumentis persuadebitur, quae (Iur. Nat. §. 139.) tradita sunt. Erga bene meritos inprimis

primis vt liberales simus, grati animi virtus et laus mouere nos debet. Cui enim ab alio est, quod profuit et placuit, praestitum, quomodo ingrati animi vitium et turpitudinem effugere potest, nisi et ipse in eo genere illi gratum faciat, in quo maxime potest?

114. Cum hoc beneficentiae genere, quod quasi ab arca petitur, coniungendum alterum est, quod ab opera aliorum commodis impensa arcessitur, et latius non modo patet, verum etiam, quia plerumque ab vno animo iuuandi alios cupido proficiscitur, et aliquid laboris habet, multo nobilius splendidiusque est superiori illo, quod locupleti difficile esse non potest, neque tam virtutis beneuolentiaeque, quam copiarum est. Sed hoc beneficientiae genus eadem argumenta fere, quae superius, commendant (§. 111.) praeter ea vero etiam summa vtilitas, quam amicitiae afferunt.

115. Si, qui aut pecunia aliisque rebus ad vitae necessitatem pertinentibus, aut opera iuuandi sunt, inopia aut quacunque conditione misera laborant, ad beneficientiam facillime commouebitur misericordia tactus animus (Psych. §. 69. 67.); quod vt fiat, quomodo efficiatur, ex Psychologia (l. c.) intelligi poterit.

CAP

CAP. VII.
De Honoris et Laudis ſtudio.

116.

VErus honor et vera laus, quoniam ab vna virtute, et recte ſapienterque factis, ignominia autem a vitio et perperam ac ſtulte factis proficiſcitur, (Iur. Nat. §. 79.) nullis aliis, niſi quibus ipſa virtus, et perficiendi cum animi tum corporis officia, honoris veri ſtudium ſuaderi poteſt, neque aliae fugiendae ignominiae quam vitii rationes cauſſaeque afferri poſſunt.

117. Ac per ſe quidem, cum non poſſit intelligi, quid ad veram animi voluptatem magnopere prodeſſe poſſit, aut ad taedium valere aliena opinio; niſi quod natura ita facti ſumus, vt ex alienis de nobis opinionibus voluptatem taediumue capiamus; (Pſych. §. 69.) facile poſſemus omni honoris laudisque ſtudio ſupersedere, niſi opiniones de nobis magnam in ſtatum conditionemque externam vim haberent, cuius non debet vir honeſtus negligens eſſe. Conſtat enim multis, vt nihil bene meritis bona opinio ſaepe profuit, ita bonis et praeclaris hominibus ſiniſtras opiniones quamuis falſas nocuiſſe, in his quidem rebus, quae extrinſecus affluunt, et ab aliena voluntate pendent. Itaque, quorum haec eſt conditio, vt ſint

ab

ab aliis petendae vitae neceſſitates et praeſidia, hoc argumento diſcent alienae de ſe opinionis curioſi eſſe, neque temere quicquam committere, quod vel ſuſpicionibus malis occaſionem praebere poſſit.

118. Neque tamen hi iure erunt in hoc genere negligentes, quibus nihil deeſt ad, non modo commode, ſed etiam laute viuendum; ſed cogitent potius, tempora incidere poſſe, vbi et prodeſſe ſibi et obeſſe alienae opiniones poſſint. Inprimis autem naturae vocem audiant, eiusque ductum ſequantur, quae nobis omnibus inſeuit, id quod in pueris inprimis intelligitur, magnam pudoris vim et laudis cupiditatem, hoc conſilio, vt ille inſtar freni cohibeat et coerceat peccandi voluntatem, haec autem calcaris inſtar ad res praeclaras et virtutem inſtiget. Quae quidem res facile indicat, placuiſſe naturae, vt, quid alii de nobis ſentiant, minime negligamus.

119. Quoniam autem pudoris haec vis eſt, vt a vitiis nos abſterreat, laudis autem cupiditatis, vt ad virtutem nos impellat; opera danda eſt, vt pudorem naturalem cupiditatemque laudis quouis modo conſeruemus alamusque. Id autem fiet, ſi diligenter a pueritia caueamus, ne quicquam faciamus, cuius nos pudere poſſit. Nam vt veſtis, ita pudor eſt; Veſtis quo eſt detritior, eo contemtior viliorque habetur; ſic,

quo

quo ſaepius laeſeris pudorem, eo facilius deinde violabis et contemnes.

120. Laudis autem ſtudium alemus, ſi, quam voluptatem e laude nobis aliquando tributa percepimus, diligenter repetamus memoria, et in quaque re agenda, quid de ea dicturi ſint, aut iudicaturi certe, quid nos, ſi alius ageret, cogitemus.

121. Sed, vt alios bene velimus ſentire ac loqui, facile id quidem, inculcante ipſa natura, diſcimus; in ratione autem bonae de ſe opinionis concitandae, vt recte verſemur, multo id difficilius eſt. Nam plerique, quoniam laborem fugiunt, quem perficiendo animo et corpori, virtutique ipſi tribuere debebant, ſimulatione et diſſimulatione, oſtentatione aliisque malis artibus, quibus incautos imprudentesque decipiunt, ad laudem honoremque contendunt; inprimis vbi intelligunt, alios etiam nihil laudis commeritos, his modis magnas de ſe opiniones aliis concitaſſe. Hoc ſi quis animo erit, primo per ſe inanem eſſe et nullum, cogitet, deinde vero etiam minime durabilem honorem, qui artibus prauis paretur. Quo enim animo audire laudes ſuas, et quomodo ex his voluptatem ſolidam capere poteſt, qui quoties in genere aliquo temere laudatur, conſcientiam laudibus alienis aduerſantem ſentit? aut quid non timere ignominiae debet, ſi quo caſu intelligatur, praeclarius

clarius de eo statutum esse, ac mereatur? Huiusmodi autem casum incidere posse, nemo, nisi nihil vnquam expertus, dubitare potest.

122. Ne laudibus alienis decipiamur capique nos sinamus; nihil enim imperitis incautisque est falsis laudibus, quas veras esse putant, pestilentius; omnes nobis laudes suspectae esse debent; idque duabus de caussis. Primo, quia ab inimico et fallaci, neque tam laudis nostrae, quam commodi sui studioso animo proficisci possunt (Iur. Nat. §. 80.): deinde, quia falsae laudes, si veras putemus, efficiunt, vt meliores nos putemus, quam quidem sumus, adeoque ne quaeramus quidem id, quod debebamus. Quid enim magis ignominiosum et ridiculum, quam credere horum laudibus, qui omnia alia pectore premunt, atque in ore gerunt?

123. Has autem insidias falsae laudis effugiemus, si, auditis laudibus, statim excutiemus primo nos ipsi, ac, rectene eae nobis tribuantur, nec ne; deinde, qualis sit is, qui eam nobis tribuit, videamus, peritus an imperitus, amicus exploratus nec ne, et quae alia huiusmodi sunt, e quibus, a quo animo laudes proficiscantur, quantumque iis tribuendum sit, intelligi potest.

124. Ambitio vt depellatur, aut, ne occupet animum, caueatur, eius cum vanitas, tum, quae plurima et maxima incommoda habet, diligenter

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0339
DFG

ter cogitanda ſunt. Et vanitas quidem ambitionis, honoris et gloriae, cuius inſatiabilis ambitio eſt, multis modis intelligi poteſt. Nam primo, quid poteſt inanius eſſe eo, quod ad veram felicitatem nihil prodeſt, quae quippe non e iudiciis et opinionibus aliorum, neque ex honorum titulis, ac dignitatum ornamentis, ſed ex vna virtute, eaque vel omnibus dignitatum, titulorum gloriaeque ornamentis nuda exiſtit? deinde, quod perpetuum ſua natura non eſt, ſed expoſitum fortunae, inuidiae, obtrectationi atque odio, multisque eripi modis et artibus poteſt, id quod experientia docet, quomodo non vanum et tanto ſtudio, tot curis, laboribusque indignum iudicandum putabimus? Iam porro, quantum aut ad morborum dolores aequo animo ferendos leniendosque, aut ad timores mitigandos et pellendos, aut curas frangendas, aut mortis terrores debilitandos prodeſſe gloria, tituli, dignitates poſſunt? Denique nonne plena hiſtoriarum monumenta exemplis hominum in ſummis honoribus miſerrimorum?

125. Multo autem maiorem vim illud habere debet, quod ipſa ambitio per ſe miſera eſt. Quoniam enim in honores fertur, quae in poteſtate aliorum hominum, plerumque vitioſorum, ſuperborum, v. c. auarorum, ſunt, incredibile dictu eſt, quantum moleſtiae et laboris ſuſci-

ſuſcipiendum, quantae ſaepe indignitates deuorandae ſint, vt aliquam ſpem adipiſcendi honoris, eamque ſaepe fallacem et inanem, conſequare? Porro cum ſaepe nonniſi magnis, pro ſua cuiusque conditione, iacturis ad honores aditus patefieri poſſit, magnum etiam rei familiari detrimentum, ſaepe nullo euentu, affertur. Accedit competitorum inuidia, obtrectatio, odium, vnde grauem interdum fama iniuriam accipit; vt taceam curas, ſuſpiciones timoresque, quibus anguntur, qui honores petunt. Eſt enim ſollicita, vt Cicero ait, Candidatorum natio.

126. Quoniam vero ambitioſi honores, quos non merentur, appetunt, magnis etiam periculis ſe exponunt. Nam cum non afferant ad locum ſuum dignitatemque tuendam ea, quibus opus erat, adiumenta et praeſidia, ſaepe non modo turpiter ſe dent, neceſſe eſt, ſed etiam, quia damnum reipublicae inferunt, in poenae periculum incidant. Denique quia malas etiam artes in affectandis honoribus adhibent, largitiones, adulationem aliasque res turpes, facile intelligi poteſt, ſolidum eum honorem non eſſe, quem petunt, aut conſequuntur, ſed falſum potius, et cum ſumma turpitudine coniunctum.

127. Sed cum ambitio plerumque e ſuperbia oriatur, (Ius Nat. §. 91.) huic quomodo me-

dendum ſit, paucis dicendum eſt. Cauſae ſuperbiae ſunt partem rerum ignorantia, partem ſui aliorumque. Qui enim, vt hoc vtar, in quo vera eruditio poſita ſit, ignorant, et imperfectam, nimis anguſtam falſamque animo notionem eius informarunt, facile eam ſibi attribuunt, vbi mancam illam notionem in ſe cadere intelligunt. Deinde, qui ſe non ſatis excutiunt, et non poſſunt, aut nolunt, quae ſibi inſunt, ad notiones rerum, v. c. eruditionis, perfectas referre et exigere, ſui autem peruerſo amore ducuntur, facile ſibi perſuadent, ineſſe ſibi id, quo carent. Ex quo intelligitur, nullam meliorem ſuperbiae medicinam eſſe, niſi accuratam earum rerum cognitionem, quas nobis ineſſe putamus, et diligentem ſui viriumque ſuarum explorationem.

128. Multum etiam proderit ſui cum aliis, non, qui nihil magnopere valent, ſed qui in genere aliquo prae ceteris praeſtare creduntur, comparatio. Quo enim magis alios ſupra nos poſitos videbimus, eo modeſtius de nobis ſentiemus, longiusque nos abeſſe a perfectione intelligemus. Contra ea maximum et efficaciſſimum ſuperbiae alimentum eſt, ſe cum hominibus vilibus comparare, et vitia potius aliena, quam virtutes animaduertere. Ea enim res facit, vt meliores nos aliis putemus, eosque contemnamus.

129.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0342
DFG

129. Et quoniam superbi aegerrime ferunt sui contemtum, malam famam et odium; diligenter cogitent, quam inuisi aliis sint, qui se iis praeferunt, eosque contemnunt; et quam facile contra ea laudem amoremque inueniant, et in aliorum beneuolentiam se insinuent, qui omnes magnificiunt, honorificeque de iis et sentiunt et dicunt. Quemadmodum autem illud non potest non multas nobis molestias aegritudinesque; ita hoc multum et iucunditatis et suauitatis afferre.

CAP. VIII.
De Magnitudine Animi.

130.

QVam praestans sit et admiratione dignus animus magnus, h. e. qui nihil timet, nihil magnopere desiderat, neque paupertatem, neque dolores, neque labores, neque pericula, neque ipsam mortem metuit, sed cum haec omnia, tum voluptates, honorum titulos et ornamenta, diuitias omnesque res humanas contemnit, vnam virtutem sequitur miraturque, quam dignus, inquam, admiratione sit, supra ostendimus. (Iur. Nat. §. 96.) Ex quo intelligi potest, humili animo et abiecto, qui omnia timet, voluptates, honores, diuitiasque miratur, nihil vilius, nil contemtibilius esse. Nunc locus hic requirit, vt quibus artibus euehendus

sit ad illam altitudinem magnitudinemque animus, doceamus.

131. Quanquam autem dubium non est, quin naturae magis quam artis institutionisque res altitudo animi sit, illaque homines potius quam haec ad eam virtutem formet, id quod vel exempla puerorum Catonum apud Plutarchum docent, quorum alter, qui postea Vticensis dictus est, statim in prima pueritia praeclare excelsi et ad magna facti animi documenta edidit: institutione tamen duo effici possunt, primum, vt, qui natura elatiori animo sunt, ne deprimantur ad vanarum rerum admirationem et studium; alterum, vt, qui etiam nulla magnopere animi magni indicia pueri edunt, tamen sensim paullatimque a rebus inanibus abstrahantur et ad magnitudinem aliquam alantur et formentur. Recte Longinus περὶ ὕψους S. IX. περὶ νοήσεως: χρὴ, εἰ καὶ δωρητὸν τὸ μεγαλοφυὲς μᾶλλον, ἢ κτητὸν, ὅμως, καὶ καθ' ὅσον οἰόντε, τὰς ψυχὰς ἀνατρέφειν πρὸς τὰ μεγέθη, καὶ ὥσπερ ἐγκύμονας ἀεὶ ποιεῖν γενναίᾳ παρασήματος.

132. Plurimum autem ad hanc magnitudinem et excitandam et alendam prosunt exempla hominum, qui multa magno animo et dixerunt et fecerunt. Cum enim natura ipsa nos ad huius magnitudinis sensum et admirationem rerum magnarum formauerit; dubium non est, quin crebro cogitatis et lectis magnis rebus, insignem quan-

quandam magnitudinis ſpeciem complectatur animus, quae ei ita inſideat, vt nihil, niſi quod huic conſentiat, magnum aut admiratione dignum putet, atque adeo omnes reliquas res humanas contemnat.

133. Multum etiam ad magnitudinem hanc et comparandam et nutriendam valet ſaepe multumque cogitata rerum omnium vanitas, quarum admiratione plerique ducuntur. Cum enim eae demum res admirationem ſui commoueant, quae magnae nobis excellentesque videntur, cognitis ſenſuum phantaſiaeque ludibriis, hoc eſt, perſpecta earum rerum, quas admiramur, vt diuitiarum, honorum, voluptatumque, vanitate, non poterit non vna cum magnitudinis praeſtantiaeque opinione ipſa earum admiratio euaneſcere (Pſych. §. 73. 76. Eth. §. 10. 17. cet.)

134. Si quis autem laudis gloriaeque cupiditate teneatur, facillime huius animum ad hanc magnitudinem formabimus, ſi ei perſuaſerimus id, quod ſupra oſtendimus, (Iure Nat. §. 96.) veram et ſummam laudem gloriamque eſſe, quae ab hac magnitudine animi et deſpicientia rerum inanium proficiſcatur. Itaque, vt quemque magis ſupra humana omnia elatum, et a diuitiis, honoribus, voluptatibus et fortuna inuictum geſſiſſe animum conſtat, eo appetentiorem laudis gloriaeque fuiſſe accepimus.

135. Sed singillatim de quibusdam dicendum est, a quibus magni animi decus petitur; nam de his dicere hoc loco nihil attinet, de quibus iam alibi dictum est. Atque, vt ab eo incipiamus, in quo maxime magni animi vis cernitur; quoniam vitae magna dulcedo est, et natura quisque mortem abhorret, inprimis opera danda est, vt contra eius terrores nos muniamus atque armemus, ne, aut patriae salute postulante, aut natura iubente, tergiuersemur, aut inuiti eam subeamus.

136. Mortis autem generoso animo et subeundae et contemnendae argumenta multa sunt, vitae humanae miseria, et multifariae, quibus vrgemur, calamitates; necessario moriendum esse, omnesque homines moriendi conditione et lege natos esse, nihil itaque referre citius tardius moriare; partem meliorem nostri, quae vna vere vivere putanda sit, corporis morti et quasi ruinis superstitem esse et immortalem; eam autem conditionem, quae post mortem nos maneat, hac praesente praestantiorem longe felicioremque esse, quae ab omnibus molestiis, quibus haec vita nostra prematur, quoniam a corpore omnes proficiscantur, libera futura sit. Longe autem efficaciora argumenta sacer codex ad hanc mortis despicientiam suppeditat.

137. Contra dolores animum muniemus his cogitationibus: acutissimos quosque esse eos-

dem

dem breuissimos, diuturnos autem leuissimos; ipso tempore et consuetudine patientiaque fieri leniores; timore autem, querelis et impatientia augeri.

138. Ne paupertas infringat animum, diligenter cogitetur id, quod supra ostendimus, neque in diuitiis felicitatem sitam esse, neque ita inter se copulatas esse miseriam paupertatemque, vt pauper non possit idem beatus esse. Diuitiae, paupertas et omnes res humanae sunt, vt animus eius, qui eas possidet. Qui virtute praediti sunt, non possunt, quia paupertate premuntur, miseri esse; qui autem vitiis dediti sunt, horum miseriam non potest non paupertas intendere. Itaque paupertas non nisi his terribilis esse debet, qui sunt iidem etiam a sapientiae et virtutis opibus destituti.

139. Huc accedit id, quod inter omnes constat, paupertatem esse virtutis magistram, in diuitiis autem multa esse et magna vitiorum incitamenta. Itaque et Graecorum et Romanorum optimus et fortissimus quisque, fuit idem fere etiam pauperrimus, et maxima vtriusque et Athenienſis et Romanae reipublicae incrementa hominibus a fortunae opibus nudis debentur. Quod quidem, quare acciderit, facile intelligi potest. Scilicet ad salutem patriae omnibus modis tuendam, pericula pro eadem subeunda, et res arduas difficilesque suscipien-

das, corporis quaedam animique durities, laborum, vigiliarum, frigoris et caloris, famis et sitis patientia requiritur, quae in vitam omnibus rebus affluentem minime cadit, plerumque autem cum seuera pauperum vita coniuncta est. Porro cum multorum criminum et flagitiorum subsidia a diuitiis repetenda sint, paupertas ab his omnibus vacua sit et libera necesse est.

140. Eodem autem, quo paupertas, animo ferendi sunt omnes aduersae fortunae casus, omnesque omnium iniuriae. Et fortunae aduersae quidem haec tanquam remedia recte opponemus: Primo, quia, quae forte accidunt, in his culpa vacui sumus, nihil esse, quare nobis indignemur, aut quare poenitentia et pudore commoveamur; deinde, quia exposita fortunae et subiecta nonnisi haec sunt, quae extrinsecus nobis affluunt, neque adeo in verae felicitatis censu numerantur, nullam fortunam esse tam tristem, tam aduersam posse, a qua felicitati timendum sit; hac autem conseruata, etiam laetum et tranquillum seruari animum posse, nisi quis virtute ita destitutus sit, vt ei a rebus externis omnis vitae suauitas repetenda sit; denique aduersos fortunae casus saepe ad fortunam maiorem munire viam, atque in his, quae acerba nobis videntur, abscondita esse rerum laetissimarum semina.

141.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0348
DFG

141. Atque, vt hoc sit et ad intelligendum apertius, et ad corroborandum erigendumque animum efficacius, non sua cuiusque modo, sed aliorum etiam excutienda sunt, vtriusque generis fata, eorumque cum caussae et quasi antecessiones, tum effecta examinanda, vt totus fatorum transitus et quasi catena perspici possit. Namque ita facilius deprehendemus, quantum boni et nos et alii aduersae fortunae casibus debeamus. Itaque, quoniam historiarum scriptores, si qui recte impleuerunt susceptI muneris partes, multorum hominum vitae expressas nobis imagines reliquerunt; vel hinc quaedam historiae commendatio accedit.

142. Sed quoniam, quaecunque ex improuiso accidunt, animum facile conturbant vel maxime constantem et robustum, (Psych. §. 69.) vt saepe ne possis quidem animum ad cogitandum de doloris remediis instituere; ita opera inprimis nauanda est, ne qua improuisa animum species exterreat. Quod quomodo efficiatur, optime Terentianus Demipho explicat: omnes cum secundae res sunt maxime, tum maxime meditari secum oportet, quo pacto aduersam aerumnam ferant. Pericla, damna, peregre rediens semper secum cogitet, aut filii peccatum, aut vxoris mortem, aut morbum filiae: Communia esse haec: nequid horum vnquam accidat animo nouum. Quicquid praeter spem

eueniat, omne id deputare, esse in lucro. Phorm. II. 1. 11. Huius generis cogitationibus si adiungatur hoc, vt, quo animo simus futuri, si quid nobis accideret eiusmodi, quibus cogitationibus aduersae fortunae vim debilitaturi simus, multo ante cogitemus, ad omnes casus bene praeparatum pectus afferemus, neque ita vnquam poterimus vlla re conturbari, vt victus aduersae fortunae animus succumbat.

143. Atque, vt lectione bonorum auctorum in vniuersum alitur ingenium; ita dubitari non potest, quin sapientum hominum libri, quibus aut de omni genere magnitudinis, aut de hoc, quod in ferenda aduersa fortuna cernitur, explicarunt, multum prosint diligenter lecti. Nam et suggerunt animo cogitationes ad ferendas calamitates vtiles, et nescio quomodo sensim paullatimque, vt ipsa exempla, animum ad dolorem obfirmant et ad patientiam magnitudinemque erigunt. Inprimis Stoicorum veterum libri multis singularem in hoc genere vim habere visi sunt.

144. Iniuriae, quae honori et existimationi fiunt, etsi per se minores sunt his, quae ad ceteras res humanas pertinent, tamen, nescio quomodo, plus ad perturbandum animum valent. Nam qui ceteras etiam fortunae iniurias satis moderate ferunt, saepe ne verbo quidem vel leuissime dignitatem suam famamque laedi pati-

patiuntur, sed grauissime iraſcuntur his, a quibus huiusmodi in se profecta iniuria est. Quae res quo minus elatum supra opiniones humanas animum decet, eo magis ab ea quomodo cauere nobis possimus, dicendum est.

145. Nihil autem est ad pectus contra harum iniuriarum vim muniendum accommodatius, quam veris honoris et turpitudinis ignominiaeque notionibus mature imbuere animum, sibique ita persuadere, nullam rem esse praeter veram virtutem, quae verum honorem afferat, et nullam contra ea praeter vitium, a qua vera ignominia, verum dedecus proficiſci queat. Quod qui ita sibi persuasit, vt nullo modo de eo dubitare possit, facile intelliget, nullum quale aut quantumcunque crimen falso in nos collatum, nullas et verborum et factorum in nos iniurias, nullas calumnias vero honori officere, aut verum dedecus afferre. Itaque quemadmodum, qui praeter meritum nobis tribuuntur laudes, non sunt verae laudes, neque veram aliquam et liquidam voluptatem afferunt ei, qui se his laudibus indignum ipse iudicat; ita nec contumeliae dolore nos afficere et perturbare animum, sed generoso potius contemtu earum vis eludi debet.

146. Qui in honorem nostrum iniurii sunt, hoc sibi propositum sine dubio habent, vt aegre nobis faciant. Itaque vel hoc nomine contem-

temnendae sunt, et ridendae eorum iniuriae, ne aegre se nobis feciſſe videant, et hanc vim iniurias suas habuiſſe laetentur, atque ea ipsa re ad vlterius laedendum impellantur.

147. Quin propterea quoque iniuriae huiusmodi aequo animo ferendae sunt, ne iure eas in nos esse collatas suspicari quisquam possit. Valde enim verosimile est, qui falsis criminibus obiectis tantopere mouetur, a culpa minime abesse. Nam si diues nemo facile indignatur, cui paupertas exprobratur, maxime autem hi, qui vt creditores fallant, neque fidem amittant, diuites videri cupiunt; quid causae est, quare magnopere indignemur et commoueamur animo, vbi vitia nobis malitiose ficta obiiciuntur, et quare non aeque hos rideamus, qui ea in nos conferunt, ac diuites hos contemnunt, qui sibi paupertatem obiiciunt. Hi demum habent, quod indignentur, in quos ea recte conueniunt, quae ipsis exprobrantur, quique occultum esse volunt, quod hoc modo profertur, cupiuntque his virtutibus ornati videri, quae obiectis sibi vitiis opponuntur. Quae autem rei familiari iniuriae ab aliis fiunt, quoniam ad fortunae aduersae casus pertinent, iisdem argumentis inducti feremus, quibus omnis fortuna aduersa.

148. Quia autem animus magnus et fortis maxime etiam in subeundis periculis his apparet,

paret, quae vitari non possunt, nisi ab officio recedere velis; neque omnes natura animo ita sunt imperterrito, vt libenter ea suscipiant; qua ratione hoc magnitudinis genus comparetur, inprimis videndum est. Et primo quidem, quia omnia huius generis pericula aut nostrae aut publicae vtilitatis et salutis caussa adeunda sunt; diligenter cogitandum est, quid nobis, quid reipublicae debeamus: publicae saluti nostram ita implicatam esse, vt, hac desperata, nostra salva esse non possit; itaque melius esse periculum, in quo dubia est pernicies, pro vtraque subire, quam in certam et ante oculos positam perniciem ruere.

149. Deinde vero, quoniam adeundis maxime pro salute publica periculis ad immortalem gloriam veramque laudem paratur via, et natura omnes laudis sumus gloriaeque cupidi; sedulo cogitetur, primo, quam pulchrum sit et humana natura dignum, non laudem modo gloriamque consequi, sed propterea consequi, quia pro patria graviſſimos labores susceperis, et pericula maxima subieris; deinde certiorem e nulla re alia sperari gloriam posse. Nam cum in ceteris rebus saepe hominum stupor, saepe inuidia obstet meritae gloriae ac laudi; hoc genus neque ingeniorum tarditas obscurat, neque inuidia diminuit, cum is sit, quibus paratur, factorum splendor, ea vtilitas,

vt

vt nullus ſtupor tantus eſſe poſſit, qui, quo minus ea agnoſcantur, impediat, nulla inuidia tanta, quin mitigetur et retundatur.

150. Porro, quia dubium non eſt, quin libentius multo horum cauſſa pericula ſubeantur, quos amamus, quorumque adeo vtilitas et ſalus curae nobis eſt cordique; inprimis excitandus eſt et alendus is, quem omnibus, atque his praecipue debemus, amor, qui aut noſtri, aut agnati, aut gentiles ſunt, aut eadem ſocietate et ciuitate coniunguntur; quod qua ratione fiat, paullo poſt exponemus.

151. Denique cum metus periculi hanc fortitudinem maxime impediat, parum in cohortando ad fortitudinem profeceris, niſi hunc expellas animo; quod qua ratione fieri poſſit, ſupra diximus. (§. 48. 49. ſq. conf. Pſych. §. 76.) Ceterum res, locus et tempus optime docebunt, quae remedia cuique ad minuendum depellendumque metum periculi adhiberi commode poſſint.

152. Huic autem, de qua diximus, fortitudini opponitur temeritas et audacia, quae in vitio eſt, quaeque quas ob cauſſas vitari debeat, ex his intelligi poteſt, quae de vitae, valetudinis, item rei ſeruandae ſtudio diximus. Et quemadmodum ad fortitudinem inſpirandam prodeſt, metum ſuſtuliſſe; ita ad temeritatis impetus refrenandos coercendosque metus recte adhibe-

hibebitur, non is, qui deprimat animum et a praeclaris facinoribus suscipiendis absterreat, sed qui generosis spiritibus velut magister adsit et moderator, ne alieno loco et tempore consumantur.

CAP. IX.

De Castitate.

153.

MAgnitudini animi et fortitudini subiungimus castitatem, quae posita est in contemtu aut moderato certe et legibus naturae accommodato voluptatis venereae vsu. Nam si magni et fortis animi habetur contemnere iniurias, calamitates, vtramque fortunam et omnes voluptates; optimo iure castitas ad fortem animum pertinebit, quae hoc voluptatis genus contemnit, quod potentissimum natura est, cuique fortissimi cetera homines succubuere. De ea autem virtute iam supra (§. 81.), sed breuissime, diximus, hic fusius opus est agere.

154. Iam primum, quoniam in refrenanda domandaque voluptate quadam haec virtus cernitur, facile intelligitur, ad eam colendam omnia ea subsidia pertinere, quae ad voluptatis amorem extinguendum assumenda esse diximus. (§. 83. seq.)

155. De-

155. Deinde vero, quoniam rerum venerearum cupiditas omnis fere a corpore ducitur, et a sensibus ac phantasia; opera danda est, primo, ne sensus et phantasia huiusmodi cupiditates aut excitent aut augeant, deinde, ne corpori ea subministremus, quae incendendis aut alendis libidinibus seruiunt.

156. Oculos esse quasi vias et aditus, quibus animum ingreditur omnis venereus amor, peruulgatum est. Sed et aures non minori iure fores animi dixeris, quibus intromitti et recipi libido possit. Itaque, relictis omnibus, hae libidinibus et amori praecludendae sunt viae et obstruendae. (§. 47.)

156. Id autem non hanc vim habet, vt non liceat attollere oculos et intueri, quae nobis occurrunt, foeminas; sed hanc, ne venemur oculis foeminas, et ne, quod quidam faciunt, omnes occasiones conspiciendarum pulchrioris formae foeminarum captemus, aeque ea attentione, quae oculis obiiciuntur, formas contemplemur, vt descendere in animum possint.

Non piget locum egregium e Xenoph. Memorab. Socratis L. I. c. 16. iuuentutis caussa adiicere: οὐκ οἶσθ' ὅτι τοῦτο τὸ θηρίον, ὃ καλοῦσι καλὸν καὶ ὡραῖον, τοσούτῳ δεινότερόν ἐστι τῶν Φαλαγγίων, ὅσῳ ἐκεῖνα μὲν ἁψάμενα, τοῦτο δὲ οὐδ' ἁπτόμενον, ἐάν τις αὐτὸ θεάται, ἐνίησί τε καὶ πάνυ πόρρωθεν τοιοῦτο, ὥστε μαίνεσθαι ποιεῖν;

ποιεῖν; ἴσως δὲ καὶ οἱ ἐρωτες τοξόται διὰ τοῦτο καλοῦνται, ὅτι καὶ πόρρωθεν οἱ καλοὶ τιτρώσκουσιν. ἀλλὰ συμβουλεύω σοι, ὁπότ' ἂν ἴδῃς τινὰ καλὸν, φεύγειν προτροπάδην. etc.

158. Neque vero a pulchris foeminis, sed a picturis etiam obscenis auertendi sunt oculi; quae, etsi non eandem, magnam tamen vim ad libidinem concitandam habent. Nam male artifex phantasia, quae ad omnes virium suarum expromendarum occasiones excubat, quod a pictoris manu et arte non potuit proficisci, picturis quodammodo addit, iisque quasi vitam tribuit, vt, quemadmodum aues pictis Zeuxidis vuis quasi veris commotae traduntur, ita animus pictis fictisque obscenis rebus tanquam viuis et veris incendatur.

159. Per aures autem ne illabatur libido, auertendae sunt ab omnibus obscenis dictis, sermonibus, cantionibus. Et quoniam libidinosi homines huiusmodi sermonibus et cantionibus delectantur, eorum quoque consuetudo fugienda est. Obscenorum autem librorum lectio, quia, eandem vim habeat, necesse est, quam auribus percepti sermones obsceni, ab hac quoque abstinendum esse apparet.

160. Sed maximam ad incendendum libidinibus animum habet illa omnibus, si qua sunt, veneficiis et incantamentis potentior, et ipsa

quasi venefica, phantasia; quae, vbi semel libidinosas imagines arripuit, neque ab iis instaurandis omni studio auocatur et abstrahitur, ita animum concitat, ita aut libidine opplet, aut iam conceptam libidinem alit, vt nullum pene remedium mali relinquatur. Quod quidem passim poetae veteres, inprimisque Virgilius in infelici illa Didone ostendit:

At regina graui iam dudum saucia cura
Vulnus alit venis, et coeco carpitur igni.
Multa viri virtus animo, multusque recursat
Gentis honos: haerent infixi pectore vultus
Verbaque: nec placidam membris dat cura quietem.

161. Itaque omnis cura adhibenda est, vt oblata specie eiusmodi, quae libidines commouere possit, statim attentio ab ea, quantum fieri potest, auertatur, et ad res alias traducatur. Est enim haec animi natura, vt quo quid saepius cogitaueris, eo cogites indies libentius et facilius, et sua sponte ad animum, etiam vbi nolueris, recurrat; quo autem magis a re animum abduxeris, eo rarius in animum redeat. (Psych. §. 17.) Sed facile intelligitur, in hac re feliciorem fore hunc, qui in potestate attentionem habet, (§. 48.) aut habet animum certe seriis meditationibus adsuetum.

162. Hoc

162. Hoc qui tenebit praeceptum, nulla neque incantamenta neque veneficia timebit. Nam quod, qui sunt ita foeminae alicuius amoribus impediti, vt nullo expediri modo posse videantur, magicis artibus interdum dicuntur vincti esse, aut certe inspirari animis amores huiusmodi artibus posse, ridiculum merito habetur. Qui amoris et phantasiae naturam et vires intelligit, nullis veneficiis hic opus esse videt. Quod quidem praeclare intellexit Philippi Macedonis vxor; cui cum esset relatum, Philippum perdite amare foeminam quandam, atque veneficiis id eam effecisse, foeminam ad se vocari iussit. Quae vbi in reginae conspectum venisset, regina, pulchritudine oculorum, oris totiusque corporis cognita: haec, inquit, eius veneficia sunt.

163. A corpore ad libidinem exstimulantur, qui nimis molliter illud habent, et in cibo potuque sumendo intemperantes sunt. Itaque castitatis studioso temperantia inprimis commendatur, sed de ea supra diximus. (§. 7. 82.)

164. Maxime autem fugiendae sunt occasiones veneris exercendae, lupanaria, consuetudo cum his, qui pudicitiae nostrae insidiantur. Nam si eius, qui vehementius amatur, eam ipsam ob caussam in periculum venit pudicitia; quanto magis huius, qui cum his ipsis versatur, a qui-

bus insidiae castitati eius parantur. Multo magis ab osculis et contrectatione cum corporis totius, tum obscenarum partium inprimis abstinendum. Si enim vel conspectus paullo diuturnior nocet et incendere animum potest, (§. 158.) quid non ab osculis et huiusmodi contrectationibus timendum erit? Itaque Socrates cum vidisset Critobulum osculantem pulcherrimae formae puerum, ita imprudentem eum esse dixit, vt non vereretur, in ardentem flammam ruere, osculumque simile esse phalangiis, quae vel admota ori grauissimos dolores afferant.

165. Vt autem haec custodiendae castitatis praecepta adhibeantur et obseruentur, relictis omnibus persuadendum est hominibus, magnam castitatis vim esse ad vitae valetudinisque diuturnitatem, ad firmitatem et robur corporis, ad matrimonium felix, foecundum et tranquillum; libidinibus autem corpus valetudinemque debilitari et corrumpi, ab iisque grauissima in omnem vitam damna redundare.

166. Nobilius argumentum castitatis seruandae nullum quidem est eo, quod apud sapientes et erectae indolis homines plurimum valere debet, quae nobis a natura data sunt ad salutem, non esse adhibenda ad perniciem nostram, neque aliud quidquam in rebus venereis nisi naturae consilium esse spectandum, neque ad volu-

voluptatem immodicam et turpem abutendum esse his, quae ad propagationem generis humani vnice comparata sunt. Sed quoniam nobilissima virtutum argumenta plerumque minimam vim habent apud homines, quorum maxima pars sensibus maxime ducitur; assumenda sunt alia, quae ab his rebus ducuntur, quae in sensus cadunt, et a phantasia arrepta animum fortius commouent.

167. Horum princeps sine dubio hoc est, quod omnis libido per se misera est. Quis enim potest miserior esse eo, qui vehementibus libidinibus vritur, et quem ita amoris stimuli et quasi furiae agitant, vt nunquam conquiescere, nunquam cogitationes a venere auocare, et ad serias res traducere possit? Itaque etiam poëtae eos, qui libidinis aestu iactati sunt, miserrimos infelicissimosque finxerunt, eumque Deum, qui amores insanos commouere credebatur, crudelissimum dixere.

168. Cetera, quae adhiberi argumenta huius generis possunt, omni temperantiae communia sunt, et eo loco sunt tradita, quo, quibus argumentis voluptatis amor sedari et extingui possit, ostendimus. (§. 85. sq.)

CAP. X.
De Societate et Amicitia colenda.

169.

QVae hactenus tradita sunt, ad ea maximam partem officia pertinent, quae sibi quisque debet. Nunc ad ea accedimus, quae aliis debentur: non quo ex iis nulla ad hunc redundet vtilitas, a quo ea praestantur; sed quod maxime in alios proficiscuntur, et cum eorum commodis proxime coniuncta sunt, tum vero demum nobis prosunt, vbi aliis profuere; quod quidem ipsum nos eo debet alacriores ad ea praestanda reddere.

170. Omnia autem, quae aliis debentur, officia continentur iustitia; cuius quidem studium cum ea, quae ad nos inde, vti diximus, redit vtilitas, commendare maxime debet, tum vero amor mirifice iuuat, quo omnes homines complecti natura iubet (Iur. Nat. §. 35.); quoniam, quos amamus, eorum etiam commodis laetamur, atque adeo etiam iis inseruimus. (Psych. §. 67.)

171. Ad hunc amorem concitandum duabus rebus opus est: quarum altera est, vt alios amare velimus; altera, vt quibus cogitationibus accendi possit, quibus impediri, teneamus, et illas quidem adhibeamus, has autem omittamus. Iam vt amare omnes velis, diligenter cogita,

cogita, primo quam felix omne genus humanum, quam ſecura et tuta, quot quantisque moleſtiis libera, quam iucunda denique vita humana foret, ſi ſinguli omnes, et omnes ſingulos vero amore complecterentur; deinde quantum commodi habeat alios amare, eorum ſalute laetari, eos pro viribus iuuare. Nam et nemo eſt tam ferus, tam omnis rationis humanitatisque expers, vt, a quo ſe amari intelligit, hunc iniuria aliqua affectum cupiat, et potentiſſimum eſt ad aliorum amorem nobis conciliandum, et omni philtro efficacius remedium, primum ipſum amare: quorum vtrumque eiusmodi eſt, vt ad alios amandos nos impellere debeat, cum et multum ſecuritatis afferat, neminem habere, a quo tibi timendum ſit, et multum vtilitatis, ab aliis amari. (Pſych. §. 67.)

172. Sed quoniam amor non imperatur, ſed ſponte oritur; non ſatis eſt, *amare velle*, verum efficiendum etiam eſt, vt *amare poſſis*. Itaque cum eo loco, quo naturam mentis et vim humanitatis explicauimus, et, quibus cauſſis mentes incitentur et reflectantur, oſtendimus, (Pſych. §. 64.) amoris etiam originem aperuimus; facile inde, quae huc pertinent, repeti poſſunt. Scilicet cum omnis amor ab oblata et cognita pulchritudine, ſiue vera illa, ſiue falſa proficiſcatur, opera danda eſt, vt, quae in quoque bona et pulchra ſunt, et intelligamus et

sedulo cogitemus: quod quidem, vt facilius sit, a teneris ita consuefiamus, magis vt, quae pulchra, honesta, laude et amore digna, quam quae secus sunt, animaduertamus, diligenterque nobis ab eorum consuetudine caueamus, qui quod reprehendant potius, quam quod probent, in aliis quaerunt.

173. Ne quis autem hunc ipsum amoris concitandi modum contemtui suo et odio praetexat, et sub hac tanquam vmbra delitescere cupiat amoris in alios expers: nullus, ne improbissimus quidem et vilissimus, ita est sua culpa corruptus et perditus, ita a natura ipsa destitutus et neglectus, vt, quod placere et iucundum esse possit, nihil in eo reperiatur. Nam vt ab vltimo incipiamus, si non cetera solum naturae, sed artis etiam opera, in quibus insigne aliquod artificium aut pulchritudo deprehenditur, admiramur, et maximam ex eorum conspectu voluptatem capimus: hominem ceteris animantibus et omnibus artis vel exquisitissimis operibus multum praestantem, cuius mens ad imaginem mentis infinitae conformata, tot viribus praestantissimis ornata, cuius corpus tanta arte constructum est, vt recte potentiae et sapientiae diuinae speculum putetur, multo magis admirari, et ex eius conspectu voluptatem capere et possumus et debemus. Deinde, quo quis humiliori est et abiectiori

sorte,

sorte, eo fere magis vel ob hanc ipsam caussam, quem amemus, dignus est; quia multum nobis commoditatis affert, cum eos fere labores susscipiat, qui multum molestiae habent, quique nobis ipsis susscipiendi essent, nisi alii eos sponte subirent. Qui autem propter improbitatem et vitia odio digni et contemtu videntur, iidem tamen alias ob res, v. c. eruditionem, artem, cetera, quae ipsis ab improbitate salua relicta sunt, amari poterunt; hoc modo teneamus, quod paullo ante monuimus, ne tam, quae vitiosa et odio, quam, quae laude et amore digna sunt, quaeramus et cogitemus. Nam ita efficietur, vt, sublata illorum cogitatione, etiam odium opprimatur, (Psych. §. 59. 66.)

174. Atque ex hoc illud etiam intelligitur, quae ab iniuriis inimicorum proficisci impedimenta amoris possunt, qua ratione tollenda sint. Quae quidem res eo facilius succedet, si adhibebitur etiam patientia illa et animi magnitudo, quae in contemnendis iniuriis et aequo animo ferendis cernitur. (§. 145.)

175. Sed praecipua etiam ab auaritia et ambitione, ex qua obtrectatio, et deinde etiam odium oritur (Psych. §. 69. 72.) obiiciuntur. Itaque in promptu habenda sunt ea et adhibenda, quae ad vtrumque vitium depellendum valere diximus. (§. 96. 123.) Sin cum iniuria quadam nostra, calumniis v. c. criminationi-

bus, consecutus alter est, aut praeripuit nobis, quod ipsi expetebamus, difficilius quidem est odio occurrere et obtrectationi; sed restat tamen ad ea perfugium, quibus magnitudinem animi gigni alique diximus. (§. 145. sq.) Ceterum ipsa tempora, personae et loca alia argumenta suppeditabunt, quibus ad placandos animos, iramque et odium exstinguendum in hoc offensae genere commode vti poterimus.

176. Vt autem non amore solum alios complectamur, sed etiam ex amore eo cum illis, hoc est, ita agamus, vt nihil, quod ipsis nocere, omnia autem, quae prodesse ipsis possunt, cogitemus aut suscipiamus, cuius caussa ipse amor ille praecipitur; vbi non sufficiunt ea, quae alio loco diximus, (Iur. Nat. §. 35.) in promptu habeamus illam tanquam mensuram, qua omnia dicta et facta metiamur, aut tanquam regulam, ad quam omnes actiones, quae aliquam in aliorum conditionem vim habere possunt, exigamus, quam et sapientes veteres, et sanctissimus religionis Christianae auctor commendauit: Quod tibi non vis fieri, id aliis ne feceris. Ita enim quasi assumta alterius persona, facilius non modo, quid amori, quem ei debemus consentaneum sit, intelligemus, sed etiam nouo quasi stimulo ad id, quod conuenit, compellemur, et ab eo, quod iniustum est, repellemur.

177.

177. Quoniam autem non cum omnibus eaedem nobis amoris cauſſae ſunt; ſed, quibus cum arctiori quodam ſocietatis vinculo coniungimur, his plus etiam amoris debemus, et non ſolum communia illa iuſtitiae, ſed propria etiam officia, vt his, quibuscum nos in negotio coniunximus, amicis, propinquis, parentibus, coniugibus, ceteris: opera danda eſt, vt communis iſte amor, pro ſuo cuiusque merito, intendatur, adeoque ſtudium etiam ſuum cuique tribuendi augeatur. Quod quidem vt efficiatur, quoniam omnis amor a boni pulchrique cogitatione ducitur, facile intelligitur, diligenter non ea ſolum cogitanda ſunt, quae communia cuique aut propria inſunt bona (§. 155. ſq.), ſed ea inprimis, quae ab iis in nos profecta ſunt commoda, et quae ab eorum ſalute et incolumitate ſperari poſſunt.

178. Quibuscum in negotio nos coniunxit ſocietas, eorum commodis aeque ac noſtris ſtudere debemus, cum quia cum eorum vtilitate noſtra copulata eſt, tum vero etiam quia noſtra ſponte, id nos facturos eſſe, promiſimus. Cogitandum itaque eſt, quantum et ipſis commodis noſtris obſimus, quantum fidei noſtrae, quantum famae, ſi quicquam committamus, quod iniurium eſſe in ſocium poſſit. Apud quem enim, qui turpi in ſocium fraude innotuit, fidem inueniet? quis cum eo ſocietatem inibit? et quis

quis eum non fugiet potius, timebit et detestabitur?

179. Sed nullum efficacius erit perfidiae huiusmodi remedium, quam auaritiae extirpatio; quae in hoc genere transuersos plerosque rapit. Hac enim sublata, non faciet id, quod est in omni societate pestilentissimum, vt ad suum vnice commodum referat omnia, et ad se rapiat, quod pluribus est commune. Atque idem etiam de fiducia, tutela ceteris valet, in quibus aliorum commodis seruiendum esse ostendimus. (Iur. Nat. 164.)

180. Denique quoniam interdum ignauia homines a subeundis his officiis absterret, vt in tutela, procurationibus, ceteris; huc ea etiam referenda sunt, quae de ignauia eradicanda dicta (§. 94.) sunt.

181. Ad amicitiam vero omnibus officiis colendam, tum amor, sine quo vanum est amicitiae nomen, tum vero insignis vtilitas et suauitas amicitiae concitare potest. Iuuabit tamen diligenter id cogitare, vnde amicitia concepta est initio, et crebro recolere animo, quantum vtilitatis, suauitatis, delectationisque ex amici consuetudine, sermonibus, consiliis ceperis. Nam ea cogitatio augebit amorem, et afferet amicitiae constantiam, studium certe eius continuandae, vt, si quid etiam sit errore quodam

ab

ab amico in nos admissum, eo facilius id pristinis amicitiae suauitatibus condonemus.

182. Sed ad amicitiae constantiam proderit etiam, scire, nullorum animos tam arcto constringi vinculo posse, vt rumpi nullo modo dissoluique possit; quandoquidem saepe ex maximis amicitiis grauissimae inimicitiae ortae sunt. Namque ea res monebit, ne in colendo amico, ceterisque rebus simus negligentiores, quibus tanquam nutrimentis amicitia alitur. Inprimis, quoniam nullus amor diuturnus aut perpetuus esse potest, nisi qui a vera perfectione et pulchritudine, hoc est, virtute proficiscitur; perpetuitati amicitiae recte consulet, qui diligenter se excutiet, et sintne in se haec, a quibus constans amicitia sperari potest, et iustis de caussis amicitiam cum amico susceperit, nec ne; vt si forte carere se his bonis videat, de iis acquirendis cogitet, aut si intelligat, minime legitimas se initae amicitiae caussas habere, amicum diligenter exploret, vt, nouis maioribusque bonis inuentis, amicitiae vinculum arctius adstringat.

183. Et quoniam offensis soluuntur amicitiae; eae autem interdum ab his rebus ducuntur, quae non erant eo animo susceptae, vt amici animus offenderetur; summo studio videndum est, quo sit amicus ingenio, quae grata ipsi, quae molesta esse soleant aut possint, vt ab omnibus

eis

eis caueamus, quibus violari poteſt, neque vllam ei tollendae amicitiae occaſionem praebeamus.

184. Vt veraces ſimus, quoniam haec etiam inſignis in ſocietate et amicitia virtus eſt, neque mendaciis aut noceamus aliis quibuscunque, aut illudamus certe, cogitemus, mendaciis amitti fidem, cuius in vita humana magna eſt vtilitas. Multa enim tempora incidunt, quibus, ſi fide careas, miſerrimus ſis, neque poſſis, quo cupis, peruenire. Deinde vero fieri non poteſt, quin odium nobis inimicitiasque mendaciis conciliemus. Natura enim aegre quisque ſe decipi etiam in rebus minimis fert, quoniam ab eo, a quo fallitur, ſtultum ſe ac ita ſtupidum haberi putat, vt facile decipi poſſit. Inimici autem quam periculoſi ſint, inter omnes conſtat.

185. Porro, qui mentiri ſolent, impudentiae et leuitatis notam ferunt, et in graues ſuſpiciones incidunt. Nam, quod ad primum attinet, quo tandem ore eſſe debet, qui, quae ſcit falſa eſſe, poteſt aliis tanquam veriſſima obtrudere, omni vultus, qui maxime ſimulationem iuuat et ſuſtinet, ſeueritate ſeruata; qui, ſi vel micam pudoris reliquam haberet, non poſſet ſine inſigni rubore mendacia ſua proferre? Leuitatis autem ſigna eſſe mendacia, vel ex hoc intelligi poteſt, quod, qui ſemel mentiendi libidine et con-

consuetudine abrepti sunt, non verentur etiam rebus sanctissimis, ad stabilienda mendacia, eaque non satis credulis obtrudenda, abuti.

186. Quomodo autem existimandum sit de eo, qui in quadam felicitatis parte ponit, alios decipere, et mirifice laetatur, si cui, quod falsum est, persuasit, facile apparet. Sed grauissimum, et a quo praecipua mendacii turpitudo oritur, illud est, quod qui mentiendi studio se dedunt, facillime ad scelera et flagitia, quoniam impunitatem sperant, perducuntur. Nam quoniam legibus ciuilibus constitutae poenae tum demum infliguntur, vbi ipse de se confessus reus est; qui impudenter mentiri didicerunt, in mendaciorum tanquam latebris delitescere scelera sua, et ab omni poena tuta esse posse confidunt, aut certe ita existimare creduntur. Quae quidem vel suspicio cum non possit non homini molestissima esse, apud quem aliquid pudoris residet; in hoc etiam pudoris vtilitas apparet, eumque conseruatum impedire, efficitur, ne in mentiendi impudentiam delabamur. Qua autem ratione pudor nutriatur et conseruetur, alio loco ostendimus. (§. 120.)

187. Post veri studium maxima taciturnitatis laus est, quae linguam orationemque ita moderatur, vt silentium adhibeat et seruet, vbi saluis officiis reliquis seruari et debet et potest. (Iur. Nat. §. 116.) Eam virtutem cum multa commen-

mendant, tum vero hoc inprimis, quod nihil ad amicitias diſſuendas, et inimicitias contrahendas efficacius eſt, quam ea effutire, quae apud te tuto depoſita eſſe credebantur. Indignatur enim ſibi is, qui tibi credidit rem arcanam, quod in eligendo eo, cui ea committeret, deceptum ſe eſſe intelligit, et ſuae ipſum opinionis et poenitet, et pudet, et tibi iraſcitur, qui eius ſpem deſtituiſti, et quod ſilentio premi volebat, diuulgaſti, inprimis, vbi ex re temere propalata damnum capit; ex quibus non poſſunt non multa incommoda in te redundare.

188. Et quoniam in multis rebus non aliis ſolum nocet, res celandas temere retegere, et cum pluribus communicare, ſed etiam huic, qui ſilentii fidem fregit, multaque ſaluberrima et certiſſimi euentus conſilia inutilia fiunt, vbi ad plurium notitiam peruenerunt; ſemel autem contracta omnia etiam leuiora effutiendi conſuetudine difficillime deinde ſilentium cuſtoditur; ſtatim a puero nobis ab iſto vitio ſedulo cauere debemus. Quod quidem facilius fiet, ſi a garrulitate omni caueamus nobis, conſueſcamusque nihil loqui, niſi quod ad aliorum vtilitatem pertinere videatur, atque adeo ab omnibus inanibus ſermonibus abſtinere.

189. Sermonibus etiam aliis, quam quibus dictum eſt, modis noceri poteſt, vt, ſi malignitas,

tas, improbitas, obscoenitasque iis insit; a quibus proinde aeque ac a mendaciis abstinendum esse ostendimus (Iur. Nat. §. 118.) Et a malignis quidem sermonibus, quibus famae alterius nocetur, item iocis nimis salsis, et dicteriis, cum propter eas causas abstinere debemus, quae sunt omnibus iniustitiae generibus communes, tum vero etiam propterea, quia nihil magis ad exacerbandos animos et inimicitias conciliandas valet; a quibus inprimis cauere expedit. Multis magno constitit dicterium. Ciceronem Antonio concessit Octauius, quia: *tollendum esse puerum*, ambigue et subsalse ad Brutum scripserat. Et Scipionem Nasicam, cum aedilitatem peteret, repulsam tulisse proditum est, quod ciuem, cuius rustico labore concalluerant manus, interrogauerat: *Num soleret manibus incedere?*

190. Facillime autem hic peccant hi, qui acutiori natura sunt ingenio, et ingenii laudem affectant. Nam his saepe accidit, inprimis vbi quaedam consuetudo accessit, vt non possint, quae sibi in mentem veniunt dicteria acutiora, reticere, etiamsi vident, ea sibi magnae inuidiae fore, aut esse certe posse. Itaque ipse Cicero negabat, se ab eiusmodis dicteriis, in Caesarem etiam, abstinere posse, quem intelligebat iis offendi, quia ingenium abiicere non posset. Accedit etiam, quod, qui huiusmodi scommata audiunt, iis se valde delectari plerumque ostendunt,

dunt, vbi scilicet ad alios, inprimis haud adeo sibi amicos, perstringendos pertinent. Quae res facit, vt eo libentius, ipso placendi et delectandi alios studio ducti, quae sibi in mentem veniunt, dicteria proferant.

191. Iam, quos laudis cupiditas dicaces facit, cogitare debent, male consumi in dicteriis excogitandis iaciendisque ingenium, neque magnam, quin nullam potius laudem esse, quae in hoc vno posita est, vt aliorum vitia, errores, cum acuminis alicuius specie, reprehendere et ridere queas. Quod si quem tanta cupido huius laudis tenet, quae ab ingenio repetitur; multae grauissimaeque res sunt, non modo rectius, honestius et maiori cum laude expromi ingenii vires et declarari possunt, quam in his, in quibus iuste id et honeste fieri non potest, sed etiam tutius. Quoniam enim sibi dicteriis infestos reddunt hos, quos petere solent, saepissime fit, vt ingenii ipsos poeniteat, et ipsis sit, quanquam in dissimili genere, cum Ouidio querendum:

In - meas poenas ingeniosus eram.

192. Qui autem placendi studio ad dicacitatem ducuntur, non vident, in quo se iucundos aliis reddere cupiunt, in eo se molestos inuisosque grauibus hominibus esse; et qui ipsis applaudunt, non tam ingenio ipsorum, quam

quod

quod, quos minime amant, perſtringuntur, laetari, ac hos ipſos quoque minime amicos ſibi eſſe, quoniam, quod aliis accidit, verentur, et iure quidem, ſibi quoque ne accidat.

193. Obſcenitatem ſermonum vt fugiamus, multa ſunt, quae commouere nos debent. Nam primo, quia animi index oratio habetur, ac in cuiusque ſermonibus expreſſa eſt quaedam imago animi, niſi quidem ſimulatio et diſſimulatio ſtudio adhibeatur; qui obſceni in ſermonibus ſunt, non poſſunt non in ſuſpicionem incidere, quaſi obſcenis rebus delectentur, ac venereis voluptatibus dediti ſint, ex quo contemtus et mala fama oritur. Deinde cum verbis inſtaurantur in animo rerum imagines, his autem priſtinus voluptatis ſenſus et appetitus adeo commouetur, qui in ipſum etiam corpus vim ſuam exſerit (Pſych. §. 16. 34. 75. 98.); quod caſtitatis amanti, quia et difficilius caſtitatis ſtudium efficit, et libidines excitat, alit et auget, moleſtum et fugiendum eſt. Et cum cauendum ſit, ne quocunque modo noceatur aliis, (Iur. Nat. §. 91.) vel propterea ab obſcenis ſermonibus abſtinendum eſt, quia inſignem ad corrumpendos etiam integros, nullisque adhuc libidinibus magnopere contactos, animos vim habent. Denique, etſi iucundi accidunt huiusmodi ſermones his, qui ipſi rebus venereis dediti ſunt;

tamen iidem etiam inuisi sunt hominibus grauibus, et virtutis castitatisque amantibus, et apud eos ipsos tandem contemtum pariunt, qui iis magnopere capi videntur.

CAP. XI.

De Coniugii Felicitate consequenda.

194.

MAritale coniugium, vti Cicero recte ait, sic comparatum est natura, vt non solum iucundissima, verum etiam vtilissima vitae societas iniretur, et ne genus humanum temporis longinquitate occideret. (Iur. Nat. §. 180.) Neque alio fere quisquam, nisi hoc naturae consilio ad ineundum coniugium adiungit animum; nisi quod nonnulli, aut propter auaritiam, quod turpissimum est, aut propter senectutem imbecillitatemque, id quod ferendum est, vnam vtilitatem, hi fortasse etiam iucunditatem sequuntur. Sed huic consilio cum apud pauciſſimos euentus plenus respondeat, paucis, quomodo ex voto sit coniugium traducendum, videamus.

195. In quo, cum maximam vim electio coniugis habet, inprimis ea obseruanda esse intelligitur, quae de coniugum electione praecepimus. (Iur. Nat. §. 185.) Ac primum quidem, vt nihil praecipue, nisi eas virtutes in deligenda coniu-

coniuge sequendum nobis statuamus, quae ad felix beatumque coniugium pertinent, cogitandum est, hanc maritalem societatem hac conditione iniri, vt ad vitae finem duret, atque adeo miserrimum esse non posse hunc, qui coniugem habeat, quam non modo non amet, sed a qua nec ipse ametur, et a qua sibi potius quotidianae molestiae auaritia, aut ambitione et superbia, aut nimio voluptatis amore, pertinacia, aliisque tum ingenii, tum animi vitiis creentur; feliciſſimum contra, qui habeat, quam et amet, et propter virtutes magnifaciat, a qua ametur et ipse et magni fiat, quae sua sorte sit contenta, idem velit, idem nolit, in nulla re pertinaciter repugnet, in omnibus rebus, vt marito vnice placeat, laboret, quae neque propter auaritiam ipsum modiis castiget iniquis, neque propter superbiam aut voluptatem rem familiarem perdat, sed ita parca sit, vt et dignitas et decorum seruetur.

196. Et cum ex liberis plurimum, aut voluptatis, aut doloris et aegritudinis, redundet ad parentes, prout scilicet sunt aut virtutibus praediti ingenuis hominibus dignis, aut vitiis dediti; reputandum est, quantum ad hoc genus voluptatis consequendum coniugis ingenium et mores valeant. Nam cum liberi plerumque apud matrem sint in tenera aetate, ex ea etiam mores sumunt.

197. Inprimis proderit exempla intueri, obuia illa maximeque frequentia, eorum coniugiorum, in quibus ineundis contrahendisque nihil praeter pecuniam, aut genus, aut formam spectatum est, vt, quantam miseriam afferant, eo clarius appareat; contra ea vero etiam eorum, quae legitimas ob causſas inita sunt, vt, quae sit eorum suauitas, quae felicitas, eo melius cognoscatur.

198. Tres autem inprimis causſae sunt, quare plurimi non id, quod natura voluit, et sua cuiusque felicitas postulat, consilium in ducendis coniugibus sequuntur: quarum vna est, quod multi coniugium ad diuitias quaerendas comparatum esse putant, et in eligenda coniuge nil praeter dotem spectant; altera est, quod quidam coniugio cupiunt magnis aut potentibus familiis coniungi, quarum ope ad dignitates maiores perueniant, aut maiorem auctoritatem consequantur; tertia autem, quod voluptatis studio abrepti, vnam pulchritudinem corporis sequuntur, seque tum demum beatissimos fore putant, si vxorem quam pulcherrimam habeant.

199. Iam qui pecuniae cupiditatem in deligenda coniuge in consilium adhibent, horum stultitiae duobus modis mederi possumus. Primus, idemque praecipuus est, cum auaritiam ex animo depellendam curamus; cuius qui-

quidem viam quandam et rationem supra aperuimus (§. 96); alter, cum ostendimus, parum, saepe etiam nihil ex vxore diuite commodi capi, et his rebus, tanquam pretio, redimendas esse vxorias diuitias, vt, qui sapit, malit diuitiis vxoris carere, quam tam caro eas pretio redimere.

200. Scilicet experientia docet, vxorem, vt quaeque est ditior, ita esse etiam imperiosiorem et auariorem, aut superbiorem, magnificentiorem, luxuriosioremque. Nam eam ipsam ob caussam, quod propter diuitias se potissimum vident expetitas esse, diuitiis efferuntur, et quia aut locupletarunt maritum pauperem antea, aut eius rem lautiorem multo ampliioremque effecerunt, suam sibi maritum felicitatem debere putant, ac eam ob caussam iure se sibi imperium arrogare. Quae autem hoc sunt animo, facile virum subigunt, qui, quoniam diuitias vxori debet, non potest ita suum imperium tueri. Muliebre autem imperium quam impotens sit, quam durum, omnes sciunt; vt vel hoc nomine recte Iuuenalis dixerit:

Intolerabilius nihil est, quam foemina diues.

201. Quae porro vtilitas diuitiarum est, si non licet iis recte aut ad necessitatem, aut ad dignitatem, aut ad licitam honestamque voluptatem, sed non nisi ad vxoris auarae voluntatem vti? Quid iuuat vxorem diuitem habere, et

aeque tenui victu et cultu vti, ac, si in re tenui esses? Si in cultu magnifica, in victu parca est, quid prodest vxorem habere vel principali ornatam cultu, qui aliorum hominum non tua caussa adhibetur, conuiuis, si quos habet, dubiam coenam apponentem, te autem tenui et vili victu castigantem? Sin diues vxor eadem luxuriosa est in omni genere et victus et cultus, quid refert diuitem vxorem habere, quae breui, et quod attulit, et quod inuenit, perdit? Debet itaque huiusmodi homo, vt intelligat, curare, quod recte Cicero, in Paradoxis, ab hominibus non intelligi, ait, magnum vectigal esse parsimoniam, adeoque eadem parsimonia, reique familiaris administrandae peritia, nullam meliorem dotem afferri posse: quae parum dotis afferunt, quia vident, amore ad se deligendas inductos esse maritos, eo maiori amore maritos complecti, honore afficere, curare, iis libentius obsequi, quacunque forte contentas esse.

203. Ne quis in vxore deligenda ambitione ducatur, illud relictis omnibus faciendum est, vt ambitioni medeamur, (§. 124.) quod si tam celeriter fieri posse desperamus, ipso hoc vitio ad eius salutem vtamur, eique ostendamus, aut nullos magnopere honores esse sperandos, si eam, quam vult feminam, in matrimonium ducat, aut spem illam valde esse incertam, vt quae

variis

variis fortunae casibus amitti possit, aut denique, si qua etiam certa honoris spes sit, non eam tanti esse, vt propterea ipsius felicitatis periculum subeundum sit.

204. Nam quae loco altiori, atque maritus, natae sunt vxores, eam ipsam ob caussam plerumque superbae sunt, et sibi imperium in eum sumunt, inprimis vbi ad honores maritus sua caussa, parentum cognatorumue ope, peruenit. Si superbae sunt, magnificentiae in cultu saltem, interdum etiam in victu, studiosae sunt, vnde res familiaris insigne detrimentum capit. Ipsae cognationes, quoniam crebris conuiuiis occasionem dant, magnos sumtus et magnas molestias afferunt. Denique omnium cognatorum aut seruus huiusmodi maritus sit, aut eorum inimicitias suscipiat, necesse est; quorum illud intolerabile est ingenuo homini, hoc autem pernicioſum.

205. Voluptas iuuenes inprimis alacriores et sanguine multo abundantes transuersos rapit. Nam hi plerumque, vt insignis aliqua forma ipsis offertur, ita amore, vt Terentianus ille Chaerea, incenduntur, seque tum demum felicissimos fore arbitrantur, si eam ducere in matrimonium sibi liceret. Iam si verum esset, quod veteres credidisse Stoici dicuntur; τὴν ὥραν σώματος ἄνθος εἶναι ἀρετῆς μελλούσης καὶ οἱονεὶ πρόοιμιον κάλλει ὡραιοτέρῳ, ap. Diogen.

Laert. L. VII. in Zenone; ferendum hoc vtique esset. Nunc cum saepissime vitium optime, et virtus contra ea male habitet; magna cautio adhibenda est, ne iuuenili quodam impetu, ac libidinis intemperantis aestu abrepti ad coniugia infelicia ruamus.

206. Ac primo quidem cogitanda ea sunt, quae supra eo dicta sunt, ne quid temere faciamus (§. 23.); deinde eae adhibendae cogitationes et quasi artes, quas depellendo voluptatis amori tradidimus (§. 83.); denique vero alia huic loco propria reputanda sunt.

207. Huiusmodi haec sunt: foeminas formosas esse plerumque libidinosas, aut certe occasionem excedendi in re venerea modi dare homini calidioris naturae: quo quaeque pulchrior sit, eo pluribus placere, atque id ipsum pudicitiae eius periculosum esse, quoniam casta est, quam nemo rogauit, zelotypiam certe commouere posse, quae vehementer animum perturbat: amorem celeriter ortum paullo post interire, et cum omnia quotidiana vilescant, etiam vxoris tandem pulchritudinem contemni, nisi amorem, tanquam ignem, mentis virtutes alant: pulchritudinem porro bonum fragile esse, vno morbo, partu, posse, senecta certissime amitti, eamque adeo molestissimam deinde vxorem futuram esse, in qua, quod laudari possit, praeter formam, nihil sit. quae contra ea mentis virtu-

virtutibus ornata sit, eam, quia pulchritudo ea non minuitur aetate, sed augetur, amabiliorem quotidie fieri, ac voluptatem, non illam belluinam quidem et corpoream, sed iucundissimam tamen ac perpetuam afferre.

208. Sed si quis etiam his aut aliis quibuscunque rationibus ductus, nihil magnopere praeter veras muliebres, et ad felix coniugium profuturas virtutes spectandum sibi putet; illud tamen, difficile vtique et periculosum, restat, ne in deligenda vxore decipiatur, ac cum omnibus virtutibus condecoratam se sibi inuenisse videatur, omnibus vitiis inquinatam acceperit.

209. Tota autem res eo redit, vt primo eius ingenium animumque, propensiones, virtutes, vitia exploret, deinde, quibus moribus sit, videat, quid et quomodo agat, dicat, laudet. Et mores quidem sermonesque, quoniam in sensus cadunt, facile cognoscuntur; cetera autem difficilius. Itaque primo, parentes et matres inprimis, quales sint, requirat, quarum plerumque, vt omnia imitatione discuntur, mores referunt, et virtutes aeque ac vitia liberi assumunt; deinde quibus magistris vsa sit ad ingenium moresque formandos. Porro actiones quasque ad genus suum referat, et quibus argumentis ad eas suscipiendas commota sit, inquirat. Amicos praeterea consulat, qui, qualis sit,

sit, scire possunt. In quo tamen sibi ab acerrimis et perpetuis illis duabus sexus foeminei, inprimisque virginum, inimicis, calumnia et suspicione, caueat. Et si ne amicitia quidem ante ineunda est, quam diuturno vsu eum cognitum habeas et perspectum, quocum amicitiam inire vis; quanto magis in connubio ineundo hoc tenendum putabimus.

210. Iam, vbi cognitam sibi habere videtur foeminam, secum eam diligenter comparet, et primo, num qua animos similitudo intercedat, (Iur. Nat. §. 104.) deinde num aut certum aut valde probabile sit, cogitet, se cum ea totam, etiam longissimam vitam, suauiter transigere posse, quantum id quidem ab hominibus pendet. Si cui enim ita legitimis de caussis visum erit, non poterit eum consilii sui vnquam ita poenitere, vt sua manifesta culpa male se duxisse vxorem existimet.

211. Sed quoniam non cum perfectis hominibus vivimus, neque adeo etiam omnes requirere virtutes a tenerae inprimis aetatis foeminis debemus; sufficere sapienti homini potest, animum nullis magnopere vitiis inquinatum, cereumque adhuc in virtutem flecti, id quod ex aetate et temperamento colligi potest, et ingenium non obtusum et stupidum, sed docile, intelligendo vero aptum inuenisse. Nam quae ita sunt foeminae, si maritum sapientem prudentem-

temque habent, facile omnes muliebres virtutes assumunt; vt nullum dubium sit, quin multae maritorum vitio et culpa corruptae et vitiosae vxores sint.

212. Denique, quoniam in hominibus, inprimisque foeminis, magna est simulatio et dissimulatio, qua vitia tegere, et virtutum speciem callide assumere possunt; si quis ita virtutis vmbra sine culpa sua deceptus est, quod quidem vel sapientissimo accidere potest, eo id animo perferre, quo ceteras fortunae iniurias, debet.

213. Vt autem in deligenda vxore libertate sua vti quisque possit, iuuenes vehementer cauere debent, ne ante de futura vxore cogitent, quam possunt vxorem et ducere et alere, aut cuiquam promittant vxoris locum, id quod, leuitate animi quadam impulsi faciunt nonnulli. Plerumque enim accidit, vt deinde, vbi ducenda vxor est, ipsos consilii promissorumque poeniteat, cum vident, melioribus conditionibus vti se posse; ex quo deinde pudor, aliaeque commotiones animi oriuntur, vt si eam, cui promiserunt, ducant, infelicissimum matrimonium sit; sin minus, iustitiam laedant, et in graue dedecus incidant.

214. In ipso matrimonio sapienter inito opera danda est, vt, propter quem contractum est initio, amor conseruetur non modo, verum indies

indies augeatur. Id fiet, si causſae amoris diligenter in animum redigantur, hoc est, si, quas virtutes, quae bona vxor habet, saepe multumque cogitemus, et quantum eae nobis voluptatis, quantum commoditatis attulerint, atque in posterum etiam sint allaturae. Quo enim saepius ea cogitaueris, eo plus boni inuenies in vxore, atque adeo plus amabis. Hic autem amor quamdiu durauerit, tamdiu cetera officia omnia facile praestabuntur, quoniam omnia fere ab amore repetuntur.

215. Sed quoniam non sufficit ad beatum coniugium, amare, sed etiam, amari, opus est; ita tractanda non modo vxor est, vt nusquam neque humanitas, neque lenitas, neque amor desiderari possit, vt in nulla re temere ei aduersere, quae quidem honestati non repugnat, sed etiam opera danda est, vt intelligat virtutes tuas et cognoscat, atque adeo te sapientem in omnibus rebus, prudentem, non auarum, non superbum, non libidinosum praestes. Inprimis cauendum, ne, quae esse marito auctoritas debet, amittatur; quod fieri solet, vbi aut nimis libidinosum, et in rebus venereis subturpem te cognouerit, aut vbi nimis familiarem ei te reddideris, quod non potest non sensim paullatimque contemtum te reddere.

216. Et cum ipse maritus formare vxoris ingenium et animum ad sapientiam et virtutem debet;

debet; nullam occasionem praetermittat, de rebus diuinis, de moribus et aliis rebus, quae ad vitam inprimis prosunt rectius traducendam, differendi, eam assuefaciat libris vtilibus legendis, quantum rei familiaris negotia permittunt, vt eo facilius ab otio et pernicioſis confabulationibus, ludis, ceteris, abstrahatur, errantem reducat in viam, perperam dicta et facta reprehendat, sed leniter et sine vlla acerbitate, recte autem facta laudet. Caueat etiam magnopere, ne quicquam aut iubeat, aut vetet, aut reprehendat, quin rationes adiiciat, vt aliter secum ac cum serua agi intelligat, neque ita iubeat, aut vetet, vt iussisse et prohibuisse, sed vt suasisse potius amice, ac dissuasisse videatur; quod et ipsum magnum ad augendum amorem momentum affert.

217. Ab adulterio idem ille amor facile coniuges abstrahet, inprimis si ea simul cogitentur, quae de voluptate fugienda, de castitate, de pactis seruandis diximus.

218. Iam, quae diximus, maximam partem ad viros spectant, sed facillime pleraque ad foemineum genus transferri leuiter immutata possunt. Itaque, quoniam praeterea etiam haec viris potissimum et iuuenibus scribuntur, de foeminis singillatim dicere praetermittimus.

CAP.

CAP. XII.
De Cura Subolis.

219.

QVae ſuboli debetur cura, partem ad eius procreationem, partem vero ad eius educationem pertinet. Et ad procreationem quidem quod attinet, phyſici potius eſſe videtur, quae ad eum pertinent, docere, aut ne huius quidem, cum ſuam quisque naturam optimam in ea re magiſtram habeat; ſed ſunt tamen quaedam, quae quoniam ad animum potiſſimum pertinent, et vulgo negliguntur, aut ignorantur, tradi hic debent.

220. Diogenes Cynicus ille, cum vidiſſet iuuenem ſtupidum, dixiſſe ei fertur: ὁπαπὴς ἐσπειρέσε μεθύων. Neque male, meo iudicio. Nam ſi quis velit inquirere in rationem viuendi, qua ſtupidorum patres vtuntur, inueniet certe plerumque, eos interdum in potu eſſe intemperantes; vt valde probabile ſit, ebrios et plus potos ad vxores veniſſe patres, cum conciperentur. Itaque ſapienter lege cauit Lycurgus, ne ebrius ſponſus aut maritus ſponſae vxorisue lectum conſcendat. Neque dubium eſt, quin totus animi ſtatus corporisque conditio in ſubolis procreandae animum et corpus vim aliquam habeat. Quare ad bene pro-

procreandos liberos proderit sobrium, valentem, tranquillum accedere. Multo maiori autem, dum vterum ferunt, mulieres cura vti debebunt, ab omni ira, vehementiori metu, et omni perturbatione, libidine, intemperantia abstinere, quoniam inter omnes constat, quicquid grauidae accidit, id vim aliquam ad conceptam vtero prolem habere.

221. Ab edito statim partu educandi cura incipere debet. Eo tempore omnis ea cura nutritione subolis continetur. Cuius cum diuersa ratio esse possit, facile intelligitur, consentaneum esse, vt ea adhibeatur, quae corpori infantis, atque adeo etiam animo (Psych. § 109.) maxime prodest. Itaque dubium non est, quin pernicioſum sit, infantes lacte libidinosae meretriculae potius, quam materno, aut alius honestae et bene valentis foeminae nutrire. Quod cum partem matrum ignauia et voluptatis amore, partem etiam patrum culpa accidat, quomodo ab ea re auocandum vtrumque genus sit, dicendum est.

222. Ne molestiae, laboris, vigiliarum vitandarum causſa meretriciae curae infantes relinquantur, cogitandum est, quam nostri parentes nobis curam laboremque tribuerunt lactandis, eam nostris quoque liberis nos vt tribuamus, aequum esse: multum ad liberorum amorem augendum valere, cum adulti intelligant, tan-

tum curae, laboris, vigiliarum, moleſtiae matres ipſorum cauſſa ſuſcepiſſe, contemtibiles autem iisdem matres fieri poſſe, cum reſcierint, ne hoc quidem ſibi eas tribuiſſe, vt lacte ſuo, quod iis a natura propterea datum erat, ſe alerent aliquot menſes, ſed fortaſſe etiam graviſſimos aliquandiu dolores ſuſtinuiſſe potius, quam vt ſine dolore ſibi lac bibendum dederint: et, quoniam non dubium eſt, quin cum lacte libidinoſo et impuro ipſis infantibus libidines inſtillentur, multo maiores diuturnioresque moleſtias ſibi aliquando deuorandas eſſe, niſi hae breuiores ſuſcipiantur.

223. Si autem propterea maternum lac infantibus negandum videatur, ne corporis partibus quibusdam aliquid decedat vigoris, vt eo plus ad ſuſtinendas irritandasque tum maritales, tum fortaſſe etiam alienas libidines valeant; diligenter conſiderandum eſt primo, quam turpe ſit, inanem oculorum aut tactionis voluptatem ſaluti liberorum praeferre, et leuiſſimae rei cauſſa periculum futurarum moleſtiarum ſubire: deinde quam rationi repugnet, irritamenta libidinis quaerere, quae refrenanda potius in coniugio etiam eſt et minuenda, (Iur. Nat. §. 193.) Dignus eſt, qui hoc loco conferatur egregius locus ap. Gellium XII. 1.

224. Cum autem vna virtus homines felices reddat, parentumque ſit, liberis ad felicitatem viam

viam et monstrare et munire (§. 190. Iur. Nat.); efficitur, ab ipsis incunabulis omnia ea sollicite facienda esse, quae eo pertinent, et omnia contra ea cauenda, quae nocere cum animo infantis, tum corpori possunt. Itaque, cum primo fragile sit infantis corpus, et grauissimis periculis expositum, nisi cura eius diligentissima habeatur, deinde vero animus rudis et tener flecti in omnes formas, et quibuscunque moribus facillime infici possit; cum maxima in vitandis corporis valetudinisque periculis prouidentia adhibenda est, tum vero etiam inprimis videndum, vt optimis sententiis imbuatur animus, et moribus honestissimis assuefiat. Nam quae hac aetate et opiniones suscipiuntur, et consuetudines contrahuntur, vix vnquam deponuntur, sed cum ipsa aetate fiunt confirmatiores. Itaque si mature eam aetatem honestis moribus assuefeceris, et facilius virtutis studium ei reddideris, et multo minori labore deinde in adulto ad virtutem formando opus habebis.

225. Ea res fieri, vti fas est, non poterit, si parentes a se remoueant, et non in gremio potius suo, quam ancillae, educent infantes. Nam primo, quia hae in curandis infantibus non tam amore, quam mercede et parentum metu ducuntur, non eam diligentiam prouidentiamque adhibent, quam ipsi parentes essent adhibituri, si hanc in se curam susciperent. Ex quo

fit, vt in magnis perpetuisque periculis infantum imbecillitas verſetur. Quod quidem exempla horum confirmant, qui culpa nutricum et ancillarum, quarum erant commiſſi curae, membro aliquo capti ſunt, aut alia veſtigia et indicia negligentiae ſeruilis circumferunt. Deinde in huiusmodi hominum conſortio non fabulis modo et erroribus ſuperſtitionibusque plebeiis, quae deinde aut nunquam, aut difficillime depelluntur ex animis, ſed etiam, quoniam quotidie praua audiunt et vident, prauis cupiditatibus vitiisque imbuuntur, et ad laſciviam impudentiamque quaſi formantur.

226. Haec qui parentes recte cogitauerint, non patientur ſe ignauia et moleſtiarum metu a ſuſcipienda perpetua tenerae liberorum aetatis cura abſterreri; niſi quidem ita omnem humanitatem depoſuere, vt nullo liberorum amore ducantur, et breuis voluptatis incuriaeque ſuauitatem liberorum, ſuaeque adeo et reipublicae, ſaluti praeferendam putent. Sed multa alia poſſent argumenta afferri, quibus ea res perſuaderi parentibus poſſet. Vnum ſufficiat in medium protuliſſe. Ea eſt primae aetatis illius natura, vt ea maxime amet, quibuscum maxime verſatur. Itaque videas, qui infantes plerumque ſunt apud nutricem, rarius autem apud parentes, multo maiori illam amore ac hos proſequi. Ac neſcio annon haec

cauſſa

cauſſa ſit, quare, quo quique maiores dignitate ſunt illuſtrioresque parentes, eo minus a liberis amentur, quia in tenera illa aetate parum aut nihil cum eis conſuetudinis habuere. Inter omnes praeterea conſtat, quanta ſit amoris, ea aetate concepti, vis, quae conſtantia. Quare cum parentum maxime interſit, a liberis amari plurimum, nullumque dubium ſit, quin et eo obedientiores habeant, et eo plus voluptatis ſibi adferentes liberos, quo ab iis plus amantur; nec illud dubium cuique eſſe poteſt, maxime parentum intereſſe, liberos plurimum ſecum habere, neque eos a conſuetudine ſua remouere.

227. Multae autem aliae res ſunt, quae ad amorem liberorum erga parentes et concitandum et augendum proſunt. Huiusmodi ſunt: frontem exporrigere, et vultum, quo maxime tenera aetas capitur, ad hilaritatem et comitatem componere, vbi cum eis colloquare, niſi quidem ipſius rei ratio ſeueritatem vultus requirat; errorum puerilium veniam dare; in poenis infligendis neque praecipitem, neque iratum eſſe, ſed et vultu et verbis dolorem ſignificare, quem infligendae poenae neceſſitas afferat, ac rationibus oſtendere, quare impune abire nunc non poſſint; honeſtas delectationes ipſis non negare, ſed libenter concedere ac offerre etiam tempore opportuno, vt eas beneficii loco habeant.

228. Et quoniam facilius cuique paremus, quo maior eius est auctoritas; vt obedientes parentibus liberi sint, de ea sibi apud liberos comparanda solliciti esse parentes debent. Quare cum auctoritas ex insigni aliqua virtutis sapientiaeque opinione oriatur; omnia facere parentes, et in omnibus factis et dictis id inprimis spectare debent, vt huiusmodi de se opinionem liberis commoueant. Itaque, vti nunquam, sic multo minus praesentibus liberis facient aut dicent, quod non modo aperte honestati repugnet, sed etiam repugnare videatur.

229. Inprimis autem proderit in iubendo et vetando semper adiicere rationes, quare quid fieri aut velint, aut nolint. Nam et natura ita comparati sumus, vt inuiti obediamus, nisi rationes afferantur, vt persuasi potius, quam iussi facere imperata videamur, et, vbi res vetantur, quae gratae pueris sunt, iubentur autem, quae ingratum sensum afferunt, facile suspicio incidit, aut inique secum parentes agere, aut parum sapienter; quorum vtrumque auctoritatem diminuit.

229. Cauendum est etiam id, quod matrum inprimis auctoritati plerumque obest, ne nimis familiariter cum liberis agamus, aut rebus leuibus et ad decorum pertinentibus aeque aut plus etiam, qui matrum mos esse solet, irascamur, ac grauissimis vitiis. Nam etiamsi parum tenera aetas intelligat; hoc tamen plerumque videt,

videt, quid inter decorum et virtutem interſit, et parum reprehenſionis mereri, qui, vt hoc vtar, non ſatis erecto capite ſtet, aut incedat, quia ea re nullum officium laeditur, multum autem, qui in cultu diuino, aut aliis rebus ad honeſtatem pertinentibus deliquerit. Quare ſi illud aeque grauiter, aut acerbius ſaepiusque, atque huiusmodi delicta caſtigaueris, non poteſt non exigua ſapientiae tuae opinio liberis concitari, vnde animi eorum contemtu tui imbuuntur.

230. Denique illud etiam fugiendum eſt, ne liberos ab omnibus erroribus remotos eſſe, ac ſibi ſimiles eſſe velint parentes, ſed cogitent potius, primo, ſe quoque tales non fuiſſe in pueritia, quales nunc ſint; deinde quoniam liberi ſentiunt, ea a ſe poſtulari, quae ſuas vires excedunt, indignationem iis et contemtum parentum commoueri.

231. Nihil autem abſurdius eſt, et ad contemtibiles parentes liberis reddendos efficacius eorum conſuetudine, qui mox amantiſſime eos tractant, ſuauiter compellant, dominos nominant, laudibus efferunt, cum iis iocantur, et ludunt, et mox ita iis iraſcuntur leui de cauſſa, ita acerbe et verbis et verberibus eos reprehendunt, vt ſibi cum capitalibus pene hoſtibus res eſſe videatur.

232. Vbi rationis ſe exſerere vis incipit, tum vero tempus eſt, et rationem omnibus modis

excitare et colere, et liberorum animos vera rerum divinarum aliarumque cognitione imbuere, quas capere posse videntur. Itaque quod ad primum illud attinet, ita institues, vt nihil temere credant, nisi cuius ipsis explicetur ratio, in omnibus rebus rationem requirant, nihil temere affirment, aut negent, aut agant, cuius non reddere aliquam quamcunque rationem possint. Nam ita a leuitate in credendo et affirmando, a superstitione, praeiudicio auctoritatis integri seruabuntur, aut certe assuescent sensim rerum rationibus causisque intelligendis indagandisque, et vniuersae vitae ad sapientiae leges conformandae. In altero autem illud inprimis cauendum est, quo nihil pestilentius tenerae huic aetati est, ne meros sonos et verba memoriae mandare cogas, quod qui faciunt, non homines, sed picas et psittacos loquaces efficiunt. Itaque, etsi non nimis mature rebus sacris infantes erudiri posse videntur; grauissime tamen errant, qui se putant liberis prodesse, cum eos docent, v. c. erecto ad coelum digito DEI nomen pronunciare, aut formulas precum breuiores recitare, cum nec vim verborum teneant, nec capere possint. Nam ita consuescunt, preces sine attentione, nulla vi verbis subiecta, recitare, in eam opinionem venire, quasi intelligant, quae non intelligunt, et ipsis omne precandi cum attentione per-

perpetua negotium difficillimum per totam vitam efficitur. Nam quod plerique non possunt v. c. eam precandi formulam, quam Christo debemus, semper, servata attentione perpetua, recitare, eius sane nulla alia caussa est, nisi haec, quod eam memoriae mandauere et saepissime recitauere eo tempore, quo eam ne intelligebant quidem.

233. Quod si quis parens aut a scientia destitutus, aut temporis penuria coactus, aliis tradit formandos liberos, inprimis pueros, magnopere videat, cui tradat, vt scilicet committantur his, qui formando ad sapientiam, eruditionem, virtutemque ingenio apti sunt. In quo si non ipse iudicium adhibere suum potest, alios sequatur auctores, sed hos, quos constat harum rerum peritos, ipsisque tractandis adsuetos esse, quibus liberi erudiri debent. Nam si hos consulat, qui ipsi aliorum potius sequi in ea re iudicium deberent, quique in commendandis praeceptoribus gratia potius, laudis inanis studio, quam horum salute ducuntur, quibus dandus praeceptor est, male liberis suis consulat, necesse est.

234. Quoniam etiam sua cuique a natura quasi persona imposita est, et, qui in eligendo vitae genere naturae nutum aut non intelligunt, aut contemnunt, quoniam, quod vitae genus amplectuntur, inuita, quod aiunt, Minerua et repugnante natura, suscipiunt, parum

ſucceſſus ſperare recte poſſunt: maxima cura prouidendum eſt, ne aut ipſi parentes hanc perſonam liberis tribuant, aut ab ipſis ſibi ſumi patiantur, quam natura ipſis imponi noluit. Fugienda itaque eſt ridicula quorundam conſuetudo, qui nolunt filios aliud, ac ipſi agunt, vitae genus amplecti, parum penſi habentes, quod naturae eorum conueniat, quid ferre humeri eorum poſſint, quid recuſent, diligenterque cogitandum, primo, nulli vitae generi vnice eſſe felicitatem attributam, ſed omnibus communem eſſe; deinde in eo feliciſſimum quemque eſſe, in quo plurimum profecerit aut excelluerit, in eo autem plurimum quemque praeſtare poſſe, ad quod a natura deſtinatus, factus ſit, et quaſi compoſitus; denique verendum eſſe, ne filios aliquando eius poeniteat, ac ſero tandem illud aut abiiciant, aut, a parentibus ſe ad illud ſuſcipiendum adactos eſſe, querantur.

235. Sed quia non omnes, quid naturae cuiusque conueniat, iudicare poſſunt; in hac quoque re conſulendi ſunt, qui cum ingeniis multis verſati ſunt, ac ſunt non modo in explorandis ingenii viribus exercitati, ſed etiam, quas ars, ſcientia, vitae genus quodque ingenii, animi et corporis dotes requirat, intelligunt.

236. Tempeſtiue etiam, quomodo conditionis externae felicitas obtineatur, docendi ſunt, ac ad eam recte curandam exercendi.

Ita-

Itaque, vt ab honoris ſtudio incipiamus, veri honoris, veraeque turpitudinis notionibus genuinis imbuendi ſunt, et ita inſtituendi, ne in pulchris veſtibus, honoris ſignificationibus externis, aliisque huiuscemodi vanis rebus honorem quaerant, ſed in virtute, diligentia, modeſtia, pietate, temperantia, ne alios contemnant, aut ſupra eos ſe efferant, quia iis et genere et corporis animique dotibus praeſtant, ſed omnes comiter tractent, vt, quid in quoque ſit boni potius, quam quid mali, videant. Exemplis etiam, aut ex hiſtoria, aut quotidiana experientia repetitis iis oſtendant, quam vani ſint honores et dignitates, quae ab aliorum voluntate pendent, et quam parum ad beatitatem valeant, et contra ea quam ſolida ſit et durabilis gloria, quae a recte et magno animo factis proficiſcitur.

237. Vt pecunia recte vti diſcant, primo, adducendi ſunt ad labores quotidianos, quid ex iis lucri accipiatur oſtendendum, vt, quam laborioſe comparetur pecunia, intelligant; deinde ipſis quoddam quaſi profectitium peculium tribuendum, eiusque libera ipſis adminiſtratio relinquenda, hac tamen lege, vt rationes certis temporibus reddant expenſae pecuniae, in quibus excutiendis non acerbi quidem parentes ſint, ſed oſtendant tamen, quid, et quare recte maleue expenſum ſit, et iuſtas impenſas laudent. Quod ſi male geſtam adminiſtrationem

nem viderint, ad tempus carere pecunia sinant, vt ex ista inopia quandam molestiam percipiant.

238. Vt liberales fiant, ducantur ad miseros homines, aut, si quos forte vident, eorum miseria ipsis demonstretur. Nam, quoniam sunt plerumque pueri ad misericordiam natura procliues, ita assuescent aliorum miseria commoueri. Proderit etiam, quae beneficia pauperibus erogantur, ab ipsis liberis distribui. Nam, nescio quomodo, ex ea re voluptatem capiunt, ac deinde ipsi aliis benefacere student.

239. Quoniam multum pudoris natura infantibus tribuit, eiusque magna vis est ad abstrahendos eos a flagitiis; omni modo eum conseruare debent parentes, neque committere, vt sua culpa imminuatur. Quod quidem faciunt hi, qui non permittunt solum liberis, sed iubent eos etiam, quicquid velint, quamuis ineptum, loqui, nullius conspectum vereri, sed, quisquis occurrat, contra libere intueri.

240. Ceterum omnes eorum sermones diligenter obseruandi sunt, ipsique grauiter et verbis et poenis interdum etiam castigandi, vbi mendacium qualecunque, aut ad aliis nocendum, aut ad se excusandos, aut aliis quibuscunque de caussis, protulerint; vbi, quod tacere debebant, cum aliis communicarunt, de aliis parum honorifice loquuntur, aut quocunque modo honestatem aut alios homi-

homines verbis laedunt, denique vbi res inutiles narrant, quas scire nullius interest. Nam ita a mendaciis, calumniis, dicteriis iaciendis, ineptisque omnibus sermonibus et garrulitate abstinere mature consuescent.

CAP. XIII.
De Familia regenda.

241.

FAmiliae regendae omnis in hoc posita est ratio, vt efficiant paterfamilias cum vxore, vt et liberi et serui imperata recte exsequantur, seque amore prosequantur, et reuereantur. Iam primo, quoniam cetera omnia facile obtinentur, si modo amore et liberi et serui patrem matremque familias prosequantur, huius etiam prima esse cura debet. Et liberorum quidem animi quomodo amore imbuantur parentum, superiori capite docuimus. Servi autem et ancillae dominos amabunt, si intelligent, se ab ipsis amari curarique, non contemni, rideri, si cum ipsis interdum, depositа nimia frontis vultusque seueritate, loquentur, si in imperando non nimis duri, et in reprehendendo neque frequentes, neque acerbi erunt, neque contumelioſi, et leuiores errores aequo animo ferent. Nihil enim magis animos, vt liberorum, ita etiam seruorum irritat, et contemtum adeo affert, quam nimis saepe, aut nullis aut leuissimis de

cauſſis

cauſſis, grauiſſime iraſci, et contumeliis omnibus eos afficere.

242. Mirifice etiam proderit, in munuſculis, quae ſeruis ex conſuetudine tribuuntur, eſſe paullo liberaliorem, inprimis vbi nihil magnopere eſt, quod in iis reprehendatur, eaque ita tribuere, vt libenter et cum voluptate quadam tribui videantur; item in concedendo iis otio modico, aut ad negotia ſua curanda, aut ad honeſtas oblectationes, minime durum, ſed facilem eſſe.

243. Ipſi autem liberi, qua ratione, quem parentibus, et ſervi, quem dominis debent, amorem concitare poſſint, ex his intelligi poteſt, quae ſupra (§. 177.) in eam rem diximus. Suam modo conditionem recte cogitent, quae bona in ea ſint, et ab his, quos amare debent, quae in ſe profecta ſint et proficiſcantur. Poſſunt etiam ſe cum aliis eiusdem conditionis comparare, qui minus amabilibus, minus lenibus, facilibus, liberalibus, parentibus aut dominis vtuntur.

244. Ne autem nimia ſeueritas, iracundia aut alia huiusmodi vitia amorem, aut, quo minus naſcatur, impediant, aut ante natum extinguant, inſtituenda eſt vitiorum huiusmodi cum virtutibus et beneficiis, quae et percepta ſunt, et adhuc percipiuntur, comparatio; ex qua certiſſime intelligetur, multo plura eſſe, quae amore, quam quae odio digna ſint. Ceterum ea etiam odii adhiberi remedia et amoris quaſi nutrimenta ſunt, quae capite decimo propoſita ſunt. 245.

245. Auctoritatem vero, quae multum apud seruiles animos valet, vt domini consequantur, eadem fere obseruanda sunt, quae de auctoritate parentibus apud liberos concilianda praecepimus, quaeque facile huc trahi possunt. Vnum illud adiicimus, esse magnopere cauendum, ne aut paterfamilias de matrefamilias, aut haec de illo apud liberos et seruos detrahat, atque suam inuicem ipsi auctoritatem imminuant.

246. Ad obedientiam parentibus in rebus, quae honestati non repugnant, praestandam liberos commouebit paternus amor; ex quo intelligent, non hanc ob caussam obedientiam ab se exigi, vt vexentur, libertate priuentur, et quasi serui fiant, sed quoniam propter aetatis et rationis imbecillitatem, quae facienda sint, et omittenda, ignorant, adeoque ab aliis discere debent, nemo autem vnus esse potest, a quo rectius atque a parentibus sibi promittere possint, nihil eum imperaturum, nisi, quae ad ipsorum salutem pertineant. Nam quae imperantur eiusmodi, ex quibus nihil ad liberos, sed parentes aliquid commodi redundat, ea grati animi caussa facienda esse, facile intelligitur. Quae autem de obedientia parentibus praestanda dicuntur, etiam ad praeceptores et magistros, qui parentum locum tenent, facile transferri possunt.

247. Serui autem ea primum cogitare debent, quae ad omne pactum seruandum compellere homines

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0403
DFG

mines debent; deinde vero etiam ſuam hanc eſſe conditionem, vt propter inopiam dominus habendus ſit, multumque ſua intereſſe, vt ſemper ſit, cui ſeruire poſſint, et qui ſibi ab ſe ſeruiri velit. Iam ſi minus dominis obedientes ſint, ea re effici, vt male audiant, ac tandem ne inueniant, cui ſeruire velint, et qui ſibi ab ſe velit ſeruiri. Addenda eſt etiam poenarum, reprehenſionum, obiurgationumque cogitatio, quae metum certe afferunt, et ſuperioribus argumentis aliquam vim addunt.

248. Erectae indolis homines ad ſponte libenterque, quae debent, facienda excitabit illud inprimis, quod non modo leuius eſt, et minori moleſtia perficitur, quicquid libente animo fit, ſed etiam, quod, quae ſponte libenterque facimus, etiamſi ex lege et officio facienda ſunt, libere facere videmur; cum contra ea, quae inuiti facimus, grauiora multo videntur, quam quidem ſunt, et, quae debemus facere, deinde vi cogimur et poenis facere, ac ita ſentimus, liberos nos minime eſſe: quemadmodum Stoicorum canis, cum eadem, qua currus, cui alligatus eſt, celeritate currit, ſe adligatum currui eſſe non ſentit, ac liber eſſe ab omni vi ſibi videtur; cum autem reſtat, neque eadem celeritate currit, tum demum ſe alligatum minimeque liberum eſſe videt.

THEO-

THEOLOGIA NATVRALIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0405
DFG

PRAEFATIO.

I.

Theologia est doctrina de DEO eiusque proprietatibus, operibus et cultu. Et ea quidem, quae in Philosophia explicatur, quia vnius rationis ope, solaque natura duce cognoscitur, *naturalis* dicitur. Hanc naturalem *Dei notitiam* duplicem faciunt, alteram insitam animis omnibus natura et *connatam*, alteram autem studio, meditatione comparatam et *acquisitam*. Connatam illam autem non hanc dicunt, quae cuique statim ab vtero materno obuersetur ita, vt nulla institutione, nulla cogitatione alia adhibita, Deum esse cogitet, quod quidem sua cuiusque experientia refellit; sed cuius consequendae mira nobis connata sit facilitas, vt ad aliquem rationis vsum peruenientibus, et hunc mundi machinam contemplantibus, statim occurrat Deus, hoc est, esse aliquam rem naturamque oportere, quae huius vniuersi auctor sit. Notitia itaque Dei inter eas, quas communes dicimus, notiones pertinet, hoc est, quas qui audit, legitue et intelligit, nisi communi sensu careat, omnemque cum sensu rationem eiurauerit, statim admittat, neque, veraene sint nec ne, dubitare possit, vt, totum est maius sua parte,

pars est minor toto, radii circuli omnes pares sunt.

2. Atque in hoc neminem habebimus repugnantem, qui, quomodo fiat, vt has κοινὰς ἐννοίας omnes facile recipiamus, intelligit. Nam, quemadmodum vsu quotidiano infantes et pueri facillime discunt, quid sit pars, quid totum, quid maius, quid minus, easque notiones, si non distinctas, claras tamen habent, vt dein, auditis his enunciatis, facillime ea intelligant, et quia multo vsu intellexerunt, integrum pomum maius esse dimidio, totam bouem maiorem capite etc. etiam vera esse colligant, et sic in reliquis etiam: sic, qui audiunt, Deum esse, hoc est, auctorem mundi, cui haec, et nos omnia, qui non semper fuimus, originem debeant, quia vsu intellexerunt, nihil oriri, nihil esse, nullam domum, vestem, calceum, cetera, quin ab alio proficiscatur, et auctorem habeat, statim huic enunciato assentiuntur.

3. Nemo autem obiiciat, si inter communes notiones pertineat, Deum esse, quare multi fuerint, ac forte etiam sint, qui omnem naturam diuinam tollant, aut ignorent certe, et quamobrem ipsi Philosophi hoc enunciatum demonstrationibus stabiliendum putent. Nam primo non haec connatarum notitiarum vis est, vt necessario animo praesentes ita sint, vt

earum

earum quisque sibi conscius sit, quemadmodum plerique nec facultates, quibus animus instructus est, cognitas habent. Nonne enim magna notionum communium aliarum pars a magna, immo maxima, hominum parte ignoratur, quia aut nunquam audiuerunt, legeruntque, aut non fuerunt occasione aliqua ad ea cognoscenda sua sponte delati, vt has, quae in Geometria sunt: duobus punctis vna recta tantum interiecta esse potest, omnes radii pares sunt, ceteras. Deinde quod quidam ereptam humano generi hanc notitiam cupierunt, et argumentis quoque naturam diuinam impugnarunt, id partim inde accidit, quod plane absurdas naturae diuinae, aut Deorum notiones acceperant, ad quas illi oppugnandas studium suum contulerunt, partim quod ipsorum intererat, nullum Deum esse; quod autem volumus, facile etiam credimus. Ac si fuerunt, qui alia quoque enunciata, de quibus nemo dubitat sanus, in dubium vocarent, et argumentis etiam conuellere studerent, ne ipso illo quidem repugnantiae principio praetermisso; (*) quid mirum est, si hoc etiam aggressi sunt? Denique, etsi omnes notiones communes sine demonstratione sumuntur, et sumi possunt, nihil tamen impedit, quo minus et ipsarum demonstratio-

(*) vid. Aristot. Met. L. III. c. 3. seq.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0409
DFG

nes condantur, non eorum cauſſa, qui, nullis praeiudicatis opinionibus praepediti, eas facile concedunt, ſed qui inepta pertinacia quadam ducti, in ipſa luce lucem deſiderant. Itaque noſtra etiam aetate fuerunt, qui huiusmodi enunciatis demonſtrationes adiunxerunt.

4. Inter ipſas autem notiones communes quoddam eſt diſcrimen. Alia enim alia eſt clarior, faciliusque et perſpicitur et concedi-tur. Sic hae: idem non poteſt ſimul eſſe, et non eſſe, pars eſt minor toto, omnes radii pa-res ſunt, facilius et intelliguntur, et verae ha-bentur, quam hae: partes ſimiles ſunt inter ſe, vt ſua tota, duae perpendiculares ex vna pa-rallela ad alteram demiſſae aequales vtriusque partes interiectas habent. Quod quidem dua-bus de cauſſis accidit. Nam notiones ſimpli-ces, quibus conſtant, in illis notiores et faci-liores ſunt, ac in his, et multo plura in vita humana accidunt, in quibus illae notiones communes, quam in quibus hae lateant. Quare cum haec: Deum eſſe, ad rem pertineat a ſenſibus remotam, mirum non eſt, ſi aliis qui-busdam difficilior cognitu eſt.

CAP.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0410
DFG

CAP. I.
DEVM esse, ostenditur.

5.

DE Deo, sitne, nec non sit, tres sententiae sunt. Prima est eorum, qui omnem naturam vimque diuinam tollunt, quique ἄθεοι dicuntur; altera eorum, qui verbis Deum ponunt, re tollunt, quia eam diuinam naturam faciunt, quae hoc nomine digna non est; tertia autem eorum, qui esse Deum et verbo et re concedunt.

6. Qui autem de Deo loquuntur, duas potissimum notiones huic vocabulo subiiciunt. Altera est eorum, qui Deum dicunt esse naturam omnium perfectissimam; in quo minime illi quidem errant. Sed in hac definitione, tanquam latebra aliqua, occultam esse impietatem volunt. Eo enim' redacti, vt, quam rem putent esse, dicant cui haec definitio tribui possit, eiusmodi rem afferunt, quae Dei loco esse non potest, mundum, verbi caussa, aut concretas alias naturas, aut otiosum mundi spectatorem, aut ne hunc quidem, quales sunt, qui ab Epicureis in intermundiis collocantur Dii, neque auctores neque gubernatores mundi. Quos quis non intelligit plane e mundo tollere Deum? Tertia est eorum, quos et nos sequimur, qui Deum se

hanc dicere naturam profitentur, quae sit auctor huius vniuersi, cuiusque vi omnia consistant.

7. Huius naturae proprietates has faciunt: aeternitatem, immutabilitatem, necessitatem, simplicitatem, immortalitatem. Praeterea eam a nulla alia pendere dicunt, eique infinitam potentiam, sapientiam, bonitatem, iustitiam, sanctitatem, scientiam et intelligentiam, libertatem etc. tribuunt.

8. Hic vero statim in limine nobis occurrunt, qui nullam Dei notionem esse clamant, neque adeo admitti posse ipsam naturam diuinam contendunt. Quorum quidem aut haec sententia est, omnino nullam vim potestatemque vocabulo Dei esse subiectam, merumque esse sine sententia sonum; quod quam sit falsum ex dictis intelligitur; aut haec potius, quam Philosophi et Christiani notionem Dei faciant, animo comprehendi, quia repugnet, non posse: esse enim eam a nulla re, quae in sensus cadat, abstractam et ductam, sed cogitatione humana effictam et efformatam, ex iisque rebus et quasi partibus compositam, quae simul consistere nequeant: itaque non alio loco esse habendam, ac quo Centaurorum, Chimaerarum notiones censeantur.

9. Horum hominum refutandorum duplex modus est: alter, qui a posteriori in scholis dicitur,

citur, isque facillimus, qui ab eo enunciato ducitur, quod repugnans esse negat, quod est in re positum et natura (ontol. §. 7.); alter a priori dicitur, qui in ipsa notione Dei et inter eas proprietates, quae ei attribuuntur, nihil pugnae esse demonstrat, de quo plerique ne cogitant quidem, et qui huc vsque de eo cogitarunt et dixerunt, hoc quidem efficere conati sunt, singulas proprietates nihil repugnantiae habere, quod autem caput rei est, nullam nulli repugnare, omnesque simul in eadem natura locum habere posse praetermiserunt. Hic autem quoniam adhiberi non potest, nisi explicatis proprietatibus singulis; a superiori illo initium faciemus, et relictis ceteris, esse aliquam naturam diuinam, quae sit auctor vniuersi, ostendemus.

10. Quoniam autem demonstratio ex concessis et perspicuis colligit incognita et obscura, primo loco ponamus id, quod omnes, et illi ipsi largiuntur, qui vim diuinam sublatam cupiunt, fuisse aliquid ab aeterno, a quo hoc vniuersum profectum sit. Si enim nihil aeternum esse sumas, efficietur, vt hoc vniuersum e nihilo ortum sit, quod est absurdum, et ab ipsis Atheis negatur. (ontol. §. 96.) Quod si quis forte casuque orta haec omnia dicat, nihilo plus faciat, nisi vt summam ignorantiam prodat, et se omnibus Atheis etiam deridendum turpi-

ter praebeat. Casus enim nihil est nisi nomen ignoratae caussae et rationis, quare aliquid sit. Nam sine omni caussa et ratione nihil quicquam est. (ontol. §. 96.) Maneat itaque id quod sumsimus, aeternam aliquam quamcunque naturam esse.

11. Iam alterum etiam omnes, quomodocunque de Deo statuant, largiantur necesse est, hanc naturam a nullo auctore ortam esse, sed sua vi et natura, intestina necessitate quadam, esse, cuius haec ratio sit, vt ex ipsa eius notione intelligi possit, repugnans esse et fieri non posse, vt ea non sit. (Ontol. §. 24.) Si enim ortam eam esse contendas, efficeretur primo id, quod Athei minime volunt, posse aliquid ab alio tanquam auctore proficisci sine vlla materia, ex qua efficiatur, deinde in philosophiam induceretur progressio caussarum in infinitum, quae est repugnans rationi et absurda. (Prolegom. §. 6. Ontol. §. 100.)

12. Confecto autem et constituto hoc, naturam illam aeternam esse a se necessariamque, illud quoque intelligetur, a nulla alia re eam pendere, (Psych. §. 118.) neque vllis mutationibus esse obnoxiam (Ontol. §. 25.) aut interitus periculo expositam, quae omnium maxima est, quae cadere in rem aliquam mutatio potest. Ex quo sequitur, vt, quoniam omnis res concreta e partibus, et composita interire natura sua

sua potest, neque eius notioni repugnat vllo modo interitus, (l. c. §. 63.) natura aeterna ab omni concretione libera sit, sine omni dimensione, figura, eminentia, verbo, simplex. (l. c. §. 65.).

13. Nunc, quae res sit eiusmodi, vt ei haec omnia tribui possint, quae ad naturam aeternam pertinent, videamus. Primi autem hic nobis Democritus, Leucippus, Epicurus, Lucretius, et qui ab horum steterunt partibus, occurrunt, et atomis hunc locum et hanc dignitatem vindicatam cupiunt. Alii mundo ipsi aeternitatem et necessitatem, aut materiae certe tribuendam putant, adeoque cum superioribus Deum, qui vniuersi auctor sit, plane tollunt. Sed vtrumque genus grauissime errat.

14. Qui atomos ad tollendum Deum adhibent, quid afferunt, nisi corpuscula, individua illa quidem, sed concreta tamen, figurisque variis praedita, hamata, vncinata, vt scilicet ex eorum cohaesione quomodo oriri mundus potuerit, aliqua ratione intelligatur, in quae cadere necessitas et aeternitas non potest (§. 12.); vt illud alterum taceamus, quod in Epicurea mundi ex atomis origine perabsurde sumitur, atomos, cum ab aeterno ad perpendiculum in vacuo se mouissent, tandem aliquando, tempore casuue nescio quo, a motu perpendiculari paulli-

paullisper declinasse, atque ita cohaesisse. (ontol. §. 96.)

15. Mundus autem, quare non possit necessarius aeternusque esse, multae caussae sunt. Nam primo concretus est, ex quo efficitur, vt ei minime repugnet, etiamsi nunquam futurum esse concederemus, interitus; quod cum necessitate minime consentit: deinde cum, quod necessario est, ita sit, vt plane repugnet, idem non esse; nullo modo ostendi potest, id in mundo hoc locum habere. Neque enim intelligi potest, quid absurdi consequatur, si mundum mente et cogitatione tollamus; quod in illa natura aeterna longe secus est. Nam ea vel cogitatione sublata, absurdum manifeste consequitur. (§. 10.) Tandem, cum omnes mundi partes, cum quae rationis participes, tum, quae expertes sunt, cum omnes, inquam, maximis et continuis mutationibus obnoxiae sint; quis enim non et se ipsum, sentit, et alias res in horas mutari? quomodo necessitas tribui mundo potest, quae non potest cum mutabilitate consistere?

16. Ex his autem efficitur primo, mundum esse fortuitum, minimeque Dei loco habendum; deinde, id quod maxime volebamus, naturam illam aeternam et necessariam esse a mundo seiunctam et discretam. Si autem mundus fortuitus, minimeque nec necessarius

nec

nec aeternus est, aliquando ortus sit, necesse est. Cum autem quod fit, caussam efficientem habeat oportet, mundus quoque auctorem quendam et caussam efficientem habuisse sequitur. Sed quoniam praeter illam naturam necessariam nihil ante mundum fuit, nihil aeternum aliud, ipsa illa natura aeterna etiam caussa mundi et auctor sit necesse est. Auctorem mundi autem dicimus Deum (§. 6.) Est igitur Deus.

17. Praeter hoc autem multa alia a multis prolata afferre argumenta poteramus, si numerus argumentorum aliquam vim in philosophia haberet. Eo magis autem hoc labore supersedemus, quia omnia reliqua argumenta, quae sunt pene innumerabilia a rebus naturalibus ducta, (*) ab hoc, quod in nostra demonstratione attulimus, vim suam pondusque accipiunt, quod mutabilis est fortuitusque mundus cum omnibus partibus suis; quod si in huius generis argumentis praetermittitur, nullam vim habere possunt. Atque vt verum fateamur, quae sunt in eam rem a Philosophis dicta et scripta, quorsum etiam ab ordine mundi rerumque naturalium ductum argumentum referimus, ad demonstrandam potentiam diuinam potius, et intelligen-

(*) vid. Fabricii Delect. Argum. et Syllab. script. de Ver. Rel. Christ. C. 7.

gentiam et sapientiam, quam ipsam naturam diuinam valent. A finibus autem rerum naturalium argumentum manifeste in orbem redit, et ad asserendam Deo sapientiam potius prodest.

18. Plerique etiam firmum argumentum ab omnium gentium in statuenda natura aliqua diuina consensione peti posse contendunt, eodemque argumento ipsum etiam Ciceronem vsum esse; in quo quidem vehementer falluntur. Nam Cicero eo loco, quo hoc argumentum affert, (*) Velleium Epicureum inducit de Diis disputantem, et ita quidem, vt non Deum, sed Deos esse aiat, in quo omnes gentes consensisse putat. Idem autem Cicero in eodem libro (**) inducit etiam Cottam Stoicum, omnem huic argumento vim abrogantem. Sed ipsum argumentum quale sit, videamus.

19. Propositio haec est: Quod omnes gentes verum esse putant, id verum est. Omnes autem gentes, cum dicunt, non totum genus humanum, ne vno quidem homine excepto, intelligunt. Omni enim populo recte tribuitur sententia, quae publica est, etiamsi vnus atque alter in populo sit, qui aliter sentiat. Huic propositioni adiungunt hoc: Sed omnes gentes Deum esse habendum viderunt, in quo quidem

(*) de Nat. Deor. L. I. c. 16.

(**) Cap. 22.

quidem eodem modo illud: omnes gentes, accipiunt; neque enim quosdam Deum negasse ignorant: atque ita colligunt, esse ergo Deum.

20. Iam primum hoc facile largimur, in quibusdam, quae vera sint, vt in notionibus communibus, omnes gentes consentire posse, sed non eodem modo alterum, in quo consentiant, id verum esse. Nam si fingas, omnes gentes in errore aliquo consentire, num ex eo efficeretur, vt non sit pro errore habendus? At in rebus Physicis nonne sunt totum genus humanum pervagati errores? Quam enim gentem vnquam putemus non credidisse, quin et nunc credere, esse v. c. colores, quos videmus, in rebus, et eorum esse tanquam materiam aliquam partibus constantem? Qui enim in hoc genere verum viderunt pauci Philosophi, non hi efficiunt, quo minus toti generi humano error iste tribuatur. (§. 19.) Sed si daremus etiam, id esse verum, in quo omnes gentes consentiant; qua tandem ratione poterit alterum illud probari, omnes gentes in hac de Deo sententia consensisse? Facile enim intelligitur, hanc assumtionem eo genere argumenti confirmandam esse, quod inductionem vocant, (log. §. 81.) quae vt vim aliquam habeat, perfecta esse debet et absoluta. Itaque primo accurata omnium gentium enumeratio afferenda esset, quae vnquam fuerunt, aut quae nunc

per

per vniuersum terrarum orbem sunt; deinde testimoniis certis minimeque dubiis probandum, omnium harum gentium communem et publicam sententiam fuisse: Deum habendum esse; neque quemcunque, sed eiusmodi, qui auctor huius vniuersi habeatur; quod quidem, quis non videt, fieri nullo modo posse? Quare si vel maxime in se legitimum esset, nolim tamen ad conuincendum aduersarium pertinacem adhiberi.

CAP. II.

De Proprietatibus diuinis.

21.

QVoniam, Deum esse, ostendimus, nunc, quae ei sint attributa, videamus. Et primum quidem, quoniam Deus est ea natura aeterna, (§. 16.) quam omnes, etiam qui Deum esse negant, largiuntur, efficitur, vt Deus sit aeternus (§. 10.) a se, nullum auctorem sui agnoscens, (§. 11.) vt sit necessario, (l. c.) vt a nulla alia re pendeat, immutabilis, immortalis, ab omni concretione liber sit (§. 12.)

22. Porro, quia Deus vniuersi auctor est et caussa efficiens, potentiam agendi, atque adeo etiam vim habeat, sine qua potentia agendi nulla esse potest. (ontol. §. 98. 74.) Quare, cum, quod vi praeditum est, substantia sit, (ontol. §. 86.) Deum

Deum quoque ſubſtantiam eſſe, colligitur. Et, ſi verum eſt, quod nonnulli exiſtimant (l. c.) omnem ſubſtantiam veram eſſe ſimplicem minimeque concretam, ex hoc etiam ſimplicitas naturae diuinae intelligi poteſt.

23. Non autem inteſtina quadam naturae ſuae neceſſitate hunc mundum effeciſſe Deus putandus eſt, ſine omni intelligentia et conſcientia, vt arbor v. c. naturae ſuae vi profert poma aut alia fructuum genera, nihil intelligens, neque ſuarum ſibi actionum conſcia. Nam, vt hoc taceam, nullam earum rerum, quas natura ſua, ſine intelligentia, agere atque efficere aliquid videmus, id praeſtare poſſe, niſi primo vim acceperit, eaque vis ab alio, eoque intelligente, dirigatur; id certum eſt, ſumto hoc, naturae ſuae neceſſitate hunc mundum effeciſſe Deum, cogi, mundum eſſe neceſſarium, quoniam, quod ex abſolute neceſſario ipſum quoque neceſſario efficitur, neceſſarium eſt; quod qui negare velit, nae is omnium demonſtrationum geometricarum vim euertat. Sed mundum non eſſe neceſſarium vidimus (§. 15.); itaque nec eo, quo diximus, modo a Deo effectus eſt.

24. Neque vero propterea aliquis putet, neceſſario a Deo hunc mundum conditum eſſe, quia ipſe neceſſarius ſit. Actio enim Dei tanquam cauſſae efficientis, non ab eo pendet, quod

necessario est, sed potius a vi et eius applicatione, quae nec ipsa e necessaria existentia pendet.

25. Non autem obscurum est, si nulla necessitas Deum adegit, vt ad condendum mundum accederet, rationem aliquam esse debere, ex qua intelligi possit, quare vires suas ad huiusmodi opus efficiendum adhibuerit et applicauerit. Iam in natura simplici, atque a nulla alia re pendente, sed sui, eiusdemque plenissimi iuris, quid potest esse, a quo proficisci illa molitio et conatus et virium applicatio queat, nisi voluntas, quae de ea re statuat, eamque decernat. Ex quo efficitur, vt diuina natura voluntate praedita sit: quae cum sine intelligentia esse non possit; recte etiam hanc Deo attribuimus.

26. Sed alio etiam modo asseri Deo intellectus potest; non a priori quidem, vti Philosophi loquuntur; nam neque ex eo, quod necessario Deus est, neque ex vi agendi colligi intelligentia potest; sed a posteriori tamen, ex perfectione scilicet rerum naturalium et admirabili ordine, quo res naturales inter se iunctae sunt: quem si quis sine intelligentia constitutum esse, aut instrui potuisse dicat, nae is eodem modo insaniat, ac si quis aedes regulis architecturae optime consentientes, aut librum sapienter scriptum emendateque expressum typis, sine vlla intelligentia auctoris, coeca vi quadam fieri potuisse dicat

dicat. Quis enim non videt, quod quis non intelligit, et cognitum non habet perſpectumque, id ab eo effici nullo modo poſſe. Vt enim efficiat, primum, vt velit efficere, opus eſt; deinde, vt velit, quale ſit, intelligat neceſſe eſt, quoniam quod quis ignorat, id velle non poteſt, (Pſych. §. 90.) multo minus tale facere, quale eſſe vult.

27. Si autem nihil, quod non cognitum habuit, efficere Deus potuit, cogitur, mentem diuinam res omnes, quae ſunt, fuerunt, et futurae ſunt, complecti, nullamque rem, neque maximam, neque minimam, eſſe, quin ei accuratiſſime, qualis ſit, quaque natura, cognita ſit. Ex quo quidem incredibilis et innumerabilis multitudo earum rerum intelligi poteſt, quas mens diuina complectitur. Nam primo corporum vniverſi maiorum, ſolis, terrae, lunae, ceterarumque ſtellarum tanta multitudo eſt, vt ne numerus quidem eorum iniri poſſit: deinde in vna terra, quo numero comprehendi poteſt, quot homines, bruta, plantae, lapides et alia corpora extiterunt et adhuc ſunt? vnumquodque tandem corpus ex quot minoribus partibus compoſitum eſt? Nam ſi falſum etiam eſt, eſt autem certiſſime, quod quidam Philoſophorum ſtatuunt, omnem materiam in infinitum diuidi poſſe; ex quo ſequeretur, in vno v. c. tritici grano infinitum particularum numerum

esse: id tamen certum, et inuentis microscopiis cognitum inprimis est, quamuis exiguo puluiſculo incredibilem particularum numerum contineri. Iam, si his velis adiicere omnium rerum, cum corporearum, tum harum, quae omnis concretionis expertes sunt, omnes mutationes; quarum quae concretis accidunt, motu (Ontol. §. 62.) quae autem in simplicibus fiunt, sensu, cogitatione et appetitionibus continentur: quae mens humana potest magnitudinem intellectus diuini assequi, et quis non libenter fateatur, eam sine insigni admiratione ne cogitari quidem posse.

28. Sed etiamsi haec maxima sint, et omnem humanae mentis vim superantia; non tamen his tanquam finibus intellectus diuini magnitudo continetur, sed multo latius vagatur, atque ad omnes res possibiles extenditur, vti paullo post demonstrabitur. Hic vnum illud ad eius magnitudinem demonstrandam sufficit adiicere, quo modo Deus res omnes intelligit, eum longe esse praestantiorem excellentioremque hoc, qui in nostrae mentis anguſtias cadit. Nam cum nos pauca distincte, pleraque autem confuse et obscure cognoscamus, propter imbecillitatem sensuum, si cum intellectus diuini acie contendas, vel hebetissimorum et ipsarum virium mentis nostrae tenuitatem; Deus contra ea omnia, quam distinctissime fieri potest, cognoscit, nulla

nulla confusione vel leuissima, nulla obscuritate admixta. Confusio enim et obscuritas omnis quoniam inde proficiscitur, quod, quae natura discreta sunt et seiuncta, non possumus sensibus et cogitatione discernere, vnde continui soni, continentisque materiae notiones; non potest ea in diuina mente cogitari, qui quoniam omnium rerum vel minutissimarum auctor est, eas etiam singillatim cognitas habeat necesse est. (§. 27.) Vnde merito purissima lux esse Deus, nihil eum latere posse, dicitur.

29. Deinde cum successionibus et temporibus, vt corpora interuallis, distinctae sint cogitationes nostrae, neque possimus plures diuersasque res simul eodemque temporis momento cogitare; Deus contra ea omnes omnium rerum quasi imagines vno conspectu intuetur. Fac enim secus esse: Diuina erit, vt humana mens, mutationibus obnoxia. Quod quoniam absurdum est, illud ipsum quoque, quod ponitur, absurdum sit necesse est. (§. 12.)

30. Sed si omnia simul videt Deus, eandem ob caussam etiam ab aeterno vidit, propter quam simul vidit. Ex quibus efficitur, vt nullus in Deo sensus, nulla phantasia et memoria, nulla attentio, nulla vis abstrahendi, nulla denique earum facultatum sit, quae cum successione et mutatione coniuncta sunt, atque imbecilli-

cillitatem mentis humanae indicant. Senſus enim ſunt rerum, quae extra nos ſunt et fiunt, nuncii, quibus opus Deo non eſt, quia nihil ignorat, nihil, quod ante ignoraſſet, intelligere poteſt. (§. 29.) Phantaſia et memoria ad inſtaurandas et reuocandas in animum priſtinas, et ad tempus omiſſas, cogitationes, imaginesque rerum pertinent. In Deo autem nulla nullius cogitationis omiſſio, nulla adeoque inſtauratio eſſe poteſt. Attentionis autem eſt, vnam rem, omiſſis reliquis omnibus, cogitare; quod Deo repugnat. Atque eodem modo de ceteris facile colligi poteſt. Quoniam autem omne corpus viuum ſenſuum etiam cauſſa cum mente coniungitur, et quae corpus inhabitat mens, ſenſuum obſcuritatibus premitur; corpore etiam carere Deum, cogitur.

31. Ad hanc intelligendi vim accedit etiam ſumma ratio; quae ex eodem illo naturalium rerum ordine (§. 26.) intelligitur. Hic ordo e duabus maxime rebus cernitur: quarum prima eſt poſita in ſumma cauſſarum et effectuum conſenſione, qua nihil vsquam eſt, cuius non efficiens cauſſa reperiatur, ex qua, quare orta ſit, quare huiusmodi ſit, qualis eſt, intelligi poſſit; altera autem eſt, quod quaeque res eſt propter alias, neque vlla inuenitur, quin afferri poſſit ratio, quare ſit, quare hoc loco, non alio, quare hoc potius ſit, quam alio modo. Et huiusmodi

iusmodi quidem ordinem esse, cum ex his intelligitur, quae breuiter aliis locis a nobis de principiis cognitionis dicta sunt (Proleg. §. 6. Ontol. §. 96.); tum vero in Physicis docetur, et a multis ex Astronomia siderumque positu, e corporis humani structura et descriptione, aliisque modis demonstratum est. Iam si Deus hunc rerum omnium ordinem cognitum habet, habet autem certissime (§. 25.); nisi quidem credi potest, ordinis auctorem eum ordinem, cuius auctor est, ignorare posse, et v. c. auctorem et architectum aedificii eius ordinem et descriptionem ignorare: nullo modo dubitari potest, quin ei summa ratio recte tribuatur, cuius vis omnis in eo elucet, vt causas rerum et rationes, causarumque vires et effectus, et, quid ex quoque consequatur, intelligas. (Psych. §. 50.)

32. Sed hic quoque cognoscenda est rationis diuinae prae humana summa praerogatiua. Nam rationis nostrae non angustissimi solum fines sunt, cum pauciſſimarum rerum et causas et vires ac consequentia videamus, sed hic etiam modus est, vt conclusio demum post cognitam et propositionem et assumtionem, interdum longam syllogismorum seriem intelligatur; quae temporibus omnia, interdum sat longis, disiuncta sunt. In Deo autem nihil huiusmodi est. Nam et omnium rerum causas rationes, effectus et consequentia videt, et ha-

omnia simul, vt eodem momento et sumta et conclusiones, et causas et effectus videat. Itaque ne syllogismus quidem in mente diuina locum habere potest, neque eorum vllam, vel notionem haberet, nisi in mentibus humanis videret, quarum, vt omnes mutationes et actiones, ita etiam ratiocinia videt.

33. Atque ab hac ratione, tanquam fonte, quae praescientia rerum futurarum omnium Deo tribuenda est, deriuatur. Ac primo quidem, valde probabilis ad eam Deo tribuendam coniectura ex hoc fieri potest, quod, si nulla in Deum huiusmodi praescientia futurorum cadit, ea plane, et cum accidunt, et postquam acciderunt, perpetuo ignoret necesse est; ex quo efficeretur, vt nullam rerum a se conditarum curam gerere possit, et in summa omnium rerum, quae in mundo fiunt, ignoratione versetur. Nam, si non ante omnia cognita habuit, atque fierent; vnde ei tandem, posteaquam facta sunt, de iis innotuit? quibus sensibus, quibus nunciis, quibus artibus, ad eum perlatum est, quod accidit, si omnibus sensibus caret, si omnis mutationis expers est, neque adeo quicquam eius sanctissimam mentem intrare potest, quod ante in ea non reperiebatur?

34. Sed quoniam nobilis est, et multum a multis disceptata de praescientia rerum futurarum doctrina, paullo accuratius in eadem Deo asse-

renda

renda versabimur, et primo, nihil repugnantiae eam per se habere, sed possibilem esse docebimus; nam id ipsum quia negandum putant nonnulli, propterea etiam ipsam praescientiam in Deum cadere negant: deinde vero ex ceteris perfectionibus, quas Deo tribuendas esse iam ostendimus, eam intelligi colligique posse demonstrabimus.

35. Ac illud quidem facile intelligitur, vt res futura cognosci ante possit, necessarium esse, vt caussae eius, ex quibus, tanquam seminibus, nascitur, cognitae sint penitusque perspectae, et vt, ab his caussis natura hunc effectum proficisci, easque caussas adesse, constet. Iam, nihil in mundo vniuerso accidit, quin a caussis certis proficiscatur (Ontol. §. 96.) et, quare acciderit, aut non potuerit non accidere, afferri ratio possit. (Proleg. §. 6.) Ita praeterea caussis effectus coniuncti sunt, eo copulati nexu, vt, posita caussa, non possit non effectus consequi, absurdumque sit, caussam concedere, eamque plenam et integram, ac effectum tamen tollere. (Ontol. §. 97.) Quis autem dubitet, qui caussis quibusque coniuncti natura effectus sunt, ac quarum rerum praesentes sint caussae, sciri posse? Relinquitur ergo, vt non repugnet, res futuras scire.

36. Sed in his concedendis faciles multos habemus etiam ex his, qui Deo praescientiam negant. Non enim negare se, dicunt, eas res

ante cerni posse, quae a caussis physicis et mechanicis, naturali quadam necessitate, proficiscantur, sed has, quae a libertate hominis pendeant. Cuius quidem opinionis nulla alia caussa est, nisi peruersa illa, quae nonnullis arridet, libertatis definitio, quam, quia sensui interno repugnat, alio loco reiecimus. (Psychol. §. 93.) Nam hoc negari non potest, si ea libertatis natura sit, vt sine ratione, contra rationes et momenta, nullis aliis oblatis, agere et velle possimus, actionum liberarum praescientiam nullam esse posse, Deumque aliquem Epicuri aut Socini assumendum esse, qui securus in diem viuat, futuri plane ignarus: vt valde mirandum sit, inter nostrates etiam Theologos esse, aut tam incautos, qui absurdam hanc et detestabilis erroris certissimam genitricem definitionem libertatis, Socinianis receptam, defendant, aut tam hebetes, qui, quid ex hac definitione necessario consequatur, non videant. Sed cum, vti diximus, iam alio loco ostendimus, hanc definitionem esse falsam, et voluntatem, etiam cum liberrime vult, certis rationibus duci, quibus positis, non possit non decernere, libertatemque non e rationum volendi absentia, sed aliis rebus aestimari; facile perspicitur, etiam liberas actiones praesciri posse, cognitis scilicet rationibus, quibus quis ducitur, cognitisque praesentibus cuiusque animo rationibus.

37. Ne-

37. Neque, quas in agendo quisque rationes sequuturus sit, sciri posse, facile quisquam negabit. Qui enim mentis cuiusque et corporis naturam perfecte intelligit, inclinationes praeterea, habilitates, loca et tempora, in quibus quisque futurus est, omnia, quomodo ignorare potest, quibus rebus, et quomodo, moueatur quisque, quas et quid agendi occasiones habiturus, et in quam partem vbique decreturus sit? Nam et opiniones de bono et malo in genere, et iudicia de bono et malo in singulis rebus inde arripiuntur.

38. Nunc, cum Deus omnes res, quae in mundo vniuerso sunt, earumque naturam, vires, proprietates, cognitas habeat, (§. 26. 27.) et, quid ex quaque consequi possit, intelligat (§. 31.); deinde vero etiam, quia ordinis auctor est, ad quem hic mundus informatus est, omnia cuiusque rei loca et tempora tenet, adeoque non modo, quarum rerum caussae adsint, videt, sed etiam, quibus quisque rationibus in agendo ducatur, et quas agendi occasiones sit habiturus: efficitur, vt Deus res omnes futuras, cum has, quae physica quadam necessitate fiunt, tum vero etiam, quae libertati humanae subiectae sunt, et ab eius decretis proficiscuntur (§. 35. 37.) praeuideat.

39. Atque ex hoc illud etiam intelligitur, quam *mediam scientiam* scholastici dicunt, qua scilicet

ſcilicet cognoſcat, quid, aliis, quam ſunt, conditionibus poſitis, in mundo contingeret, recte Deo tribui.

40. Sed ſunt, qui propterea in admittenda hac noſtra de praeſcientia rerum futurarum ſententia difficiles ſe praebent, quia, ea ſumta, efficiatur, vt omnia neceſſitate quadam fiant, atque adeo nihil ſit, neque fortuitum, neque liberum. Hi vero ſunt, qui non ſatis neceſſitatis vim capiunt, neque intelligunt id, quod alio loco oſtendimus, (Ontol. §. 28. 29.) magnam eſſe differentiam, inter eam neceſſitatem, quae eſt cum conditione, et abſolutam, illamque libertatem nullo modo tollere, ſed cum ea bene conſiſtere poſſe.

41. Voluntatem diuinae naturae, iam ſupra oſtendimus (§. 25.) eſſe tribuendam. Nunc libera ea voluntas ſit, nec ne? videamus. Cum autem libertatis duo genera ſint, quorum alterum in eo cernitur, vt poſſis agere et non agere, alterum autem in eo, vt pluribus propoſitis, poſſis eligere et agere vtrumuis (Pſychol. §. 93.); facile intelligitur, vt, Deum omnino liberum eſſe, appareat, duo demonſtranda eſſe: alterum, Deum potuiſſe mundum condere, potuiſſe vero etiam non condere; alterum, alium ab hoc, qui eſt, diuerſum mundum a Deo effici potuiſſe. Ac illud quidem iam ex his intelligitur, quae paullo ante eo diſputata ſunt, vt nulla

nulla, neque interna, neque externa, Deum neceſſitas ad huius mundi molitionem ſuſcipiendam adegerit (§. 23. ſq.): hoc autem inde intelligitur, quod praeter hunc mundum alii quoque, forte innumerabiles fieri poſſunt; quod quidem multis rationibus confirmari poteſt.

42. Nam primo, quid repugnantiae habet, quasdam res abeſſe, ac earum locum alias occupare? niſi vero non conſiſtere hic orbis aut genus humanum poſſet, niſi ceraſi eſſent, alni, vrticae, marmor, pſittaci. Alius mundus foret, ſi haec abeſſent; fateor: ſed hoc ipſum volebam. Deinde, qui in rebus cum temporis tum interuallorum ratione ordo cernitur, quid impedit, quo minus aliter inſtitui poſſit? Nam etſi huius ordinis certae ſapientesque rationes ſunt; nihilominus tamen poſſet hic ordo ita mutari, vt nouus ordo a priori diuerſus exiſteret. Sic, quae ad numeros certosque modos componuntur verba, ſaepe ita poſſunt transponi, vt prior quidem ordo euaneſcat, nouus autem, atque is ipſe quoque legibus Poëticis conſentiens, efficiatur. Neque enim huius mundi ordo eiusmodi eſt, qualis eſt in geometricis ſeriebus membrorum ordo. In hoc enim ſtatim intelligitur ex ipſa ſeriei notione, eum mutari non poſſe; quod in ordine mundi longe ſecus eſt. Iam vtrumuis ex his duobus ſumas, alios ab hoc

hoc noſtro diuerſos mundos fieri poſſe, concedas neceſſe eſt.

Quae de ordine rerum mutabili diximus, commode ex arte combinatoria illuſtrari poſſunt, atque his, quae apud Bernullium de Arte coniectandi p. 77. ſq. dicuntur.

43. Sed aliud non minus ſtabile argumentum reſtat, quod a legibus motus arceſſitur. Nam quoniam omnes corporum mutationes motu fiunt, is autem certis legibus adſtrictus eſt; efficitur, vt mutatis his legibus plane alius mundus exiſtat. His autem, quae ſunt, motus legibus, cum minime repugnet, alias ſubſtitui, alium, atque ab hoc diuerſum, fieri mundum poſſe, cogitur.

44. Atque mutabiles eſſe motus leges facile ex eo intelligitur, quod non ab ipſa corporum eſſentia ac proprietatibus deriuantur, adeoque neceſſariae non ſunt, ſed vna experientia magiſtra diſcuntur. Itaque niſi haec nos doceret, actionem, v. c. et reactionem eſſe aequalem, nunquam ex modo, quo corporum partes iunctae ſunt, eam intelligeremus. (Ontol. §. 14. 26. 27. 56.)

45. Conſtituto autem hoc, Deum potuiſſe et non condere mundum, et alium condere, illud ſequitur, fuiſſe, quae Deum permouerit, rationem primo, vt ad efficiendum mundum, deinde, e reliquis hunc potiſſimum accederet.

Quare

Quare, cum ea, quam in agendo sequimur, ratio finis appelletur, (Ontol. 102.) finem certum sibi propositum Deus habuerit necesse est, ad quem mundo efficiendo perueniret, et ad quem ipse, quem e ceteris delegisset mundus, tanquam ad effectum caussa, referretur. (ontol. l. c.)

46. Ex quo ipso intelligitur, quod Deus hunc, quem videmus, mundum ceteris, quos efficere poterat, omnibus praeferendum putauit, nullam aliam ob caussam fieri potuisse, quam, quia eum ceteris omnibus accommodatiorem consilio suo, et plus in eo esse intellexit, atque in reliquis possibilibus mundis, quod vim aliquam ad finem sibi propositum obtinendum haberet. Atque hoc sensu, si quis velit hunc mundum inter ceteros possibiles optimum appellare, quomodo reprehendi possit, non video. Neque vero quisquam ita, aut stupidus, aut absurdus putandus est, vt ita hunc mundum optimum dicat, quasi nihil in eo insit mali, quod sui quemque sensus aliter docent; aut quasi omnibus partibus, numeris et modis perfectus absolutissimusque sit, quod in nullam aliam praeter diuinam cadere naturam potest.

47. Si autem hoc modo Deus, et in decernenda mundi alicuius effectione, et in decreti executione versatus est; merito eum sapientem dicemus. (Eth. §. 22.)

48. Sed

48. Sed paullo accuratius et consilium conditi mundi, et sapientiae diuinae in hoc mundo demonstratae indaganda est ratio. Et quod ad illud quidem attinet, omnes primo concedant hoc necesse est, si qua sit alicuius operis vtilitas, ea autem ante cognita fuerit auctori operis, quam opus ipsum efficeret, eam recte pro fine et caussa perfecti operis, aut certe inter fines eius, quoniam plures eiusdem rei fines esse possunt, pertinere. Quare cum nihil in hoc vniuerso fiat aut fieri possit, nihil ex rebus omnibus consequi, quin ab aeterno cognitum Deus habuerit; quicquid vtilitatis res omnes habebunt, quicquid ex omni rerum vniuersitate consequetur commodi, id omne ad fines diuinos recte referetur. Sed omnibus rebus commune est hoc, vt ex iis, primo esse Deum, deinde eius perfectiones, summa intelligentia, summa ratio, potentia, ceterae, colligi intelligique possint. Efficitur ergo, vt mundi efficiendi consilium ceperit propterea, vt ipsius perfectiones demonstrentur et agnoscantur. Ex cognitione autem perfectionum diuinarum gloria eius arcessitur. Est ergo gloria diuina finis, quem in decernenda mundi molitione Deus spectauit.

49. Iam constituto mundi effecti fine, facilius erit sapientiam diuinam ex ipsius mundi consideratione cognoscere. Id fiet, si primo

res

res singulas cum omnibus suis effectis et vsibus considerareris, deinde haec effecta, hos vsus et inter se, et cum fine proximo, proximos autem fines cum vltimo comparareris, ad quem vniuersus mundus spectat, vt non modo quasi concentus et conspiratio omnium rerum ad hunc finem obtinendum intelligatur, Deumque nihil feciſſe, quin gloriae suae prosit, sed etiam series finium et quasi concatenatio apta cognoscatur.

50. Quoniam autem non solum tanta est rerum multitudo, vt mentis humanae anguſtiae earum ne numerum quidem capere possint, sed etiam non possumus omnium rerum singularem vsum, atque adeo finem intelligere; efficitur, vt nulla perfecta in hominem cadat sapientiae diuinae in huius vniuersi effectione demonſtratae cognitio. Proderit tamen pro suis quemque viribus in hoc sapientiae diuinae cognoscendae studium incumbere: Quod quidem doctiſſimorum hominum, Galeni, Derhami, Nieuwentyti, Raii, in hanc rem scripti libri mirifice iuuabunt.

51. Quod si vero gloriam Deus in efficiendo mundo secutus est, quae ex cognitis eius perfectionibus oritur, atque eam ipsam ob cauſſam hunc mundum effecit, ex quo maior atque ex ceteris, quos efficere poterat, mundis gloria ad se redundaret; plurimum huic mundo, ac, quae in eo sunt, rebus, inprimisque his tribue-

rit boni ac perfectionis necesse est, qui, quoniam ratione praediti sunt, vnice etiam sunt ad perfectiones diuinas intelligendas gloriamque diuinam celebrandam accommodati. Ex quo intelligitur, quoniam benignos dicimus hos, qui aliis bene faciunt, Deum recte benignum appellari. Summam autem hanc Dei bonitatem esse ac liberalitatem, ex eo intelligitur, quod plus boni huic mundo inest, ac ceteris, qui esse poterant, mundis, atque tantum adeo, quantum in mundo aliquo esse potest. (§ 46.)

52. Atque plurimum huic mundo inesse boni, hominibusque esse a Deo tributum, facile intelliget, qui se, vires et facultates suas, omnes mentis et corporis, totiusque conditionis suae commoditates considerabit, videbitque non necessitatibus nostris modo esse a Deo prouisum, omniaque ea nobis esse tributa, quae ad veram felicitatem consequendam, ad vitam seruandam, corpus valetudinemque tuendam, pertinent, sed ad delicias adeo nos esse ab eo amatos; qui et infinitum earum rerum numerum nobis dedit, quae magis ad iucunditatem quam necessitatem vitae pertinent, et cum his ipsis actionibus, quae ad corpus vitamque conseruandam suscipiendae sunt, magnum voluptatis sensum coniunxit, vt in his etiam, quae, si vel nihil haberent suauitatis, essent facienda tamen, aliqua voluptate frueremur.

53. Sed

53. Sed hic repellenda est eorum impietas et summa impudentia, qui minime contenti his, quae sibi plurima et maxima tributa sunt, bonis, plura desiderant, quam tribui possunt, aut eiusmodi bona, quae si indulgere Deus importunis desideriis hominum vellet, ipsum nomen diuinum ipsi abiiciendum esset. Itaque fictae sunt et non nisi ad faciendam Deo inuidiam male excogitatae miseriae, quibus humanum vrgeri premique genus multi conqueruntur (*); Nam si accuratius paullo, quid in hominis corpore desiderent, perpendas; facile intelligas, ea in humano corpore locum habere non posse, cum, quia eis assumtis, quodcunque potius, quam humanum corpus efficeretur, tum, quia aliis maioribus commoditatibus carendum esset, quibuscum scilicet consistere non possunt. Tanquam, si ita durum natura, aut ita testa, villis, corio, spinis, setis alioque quocunque modo, vt brutorum quorundam, munitum esset; et non homines essemus, et omnis illa suauitas et voluptas, quae ex tactione plurima et maxima percipitur, periret. Quare, cum perfectioni minime noceat, quod repugnat, non fieri (Ontol. §. 43.) bonum minus relinqui, maiori seruato; non esse veras, quae dicuntur, imperfectiones cogitur. Si porro,

(*) vid. v. c. Plinius Hist. Nat. VII. praef.

quae quidem de imbecillitate mentis humanae rhetoricantur, consideres, videas profecto, ipsam naturam suam et humanitatem eos accusare. Nam si ea esset mentis nostrae acies, ea voluntatis et adpetitionum perfectio, quam vellent, non homines profecto, sed Dii essemus. Sed hominesDeus voluit efficere nos,nonDeos,quod fieri non potest. Quare autem homines, hoc est, eius, qua sumus, naturae animantia voluerit procreare, sapientes iustasque causas habuerit, necesse est is, cuius sapientia tanta est, vt animo comprehendi humano nequeat.

54. Inepta est etiam eorum querela, qui homines nimio discrimine esse discretos, cum facultatibus, tum honoribus queruntur, ac tum demum satis benignum se praestiturum fuisse Deum putant, si omnes quam ditissimos et honoribus cumulatissimos fecisset. Nam nemo non videt, primo hoc fieri per se non potuisse; deinde humanum genus consistere non posse, nisi et diuitiarum et honorum discrimina essent.

55. Satis autem hoc vnum est ad bonitatem diuinam ab omnibus accusationibus quibuscunque defendendam, quod vniuerso generi humano verae felicitatis copiam fecit, ac eius consequendae facultatem dedit. Cum enim nulli sit aditus ad virtutem intercluſus, quae vna est verae felicitatis effectrix, omnibus etiam ad felicitatem via patet. Deinde, si, quae sua cuius-

cuiusque conditio bona habet, nosset quisque, facile intelligeret, conditionem sortemque hominum non tam effectu, quam caussis discrepare. Nam dubium nullum est, quin pauperes v. c. cibis vilissimis aeque suauiter afficiantur, ac diuites exquisitissimis, et rustici ex conspectu agrorum virentium tantum voluptatis, quantum ex instructissimis et magnificentissimis hortis diuites, capiant. Atque sic etiam de ceteris iudicandum.

56. Hic vero illud maxime obiici posse video, quod est apud eundem, quem supra hominauimus, Plinium: si felicitatis subsidiis hominem instruxerit, atque humanae felicitatis cupidus sit, quare vni ei inter cetera animantia luxuria, et quidem innumerabilibus modis, ac per singula membra, vni ambitio, vni auaritia, vni immensa viuendi cupido, vni superstitio data sit? verbo, quare ita sit factus, vt peccare possit? Sed non dubito dicere, qui hoc quaerunt, nihil nisi hoc quaerere: quare tandem homines simus? (conf. §. 53.) Bestiae non possunt peccare; fateor: sed non possunt, quia bestiae sunt, atque adeo ratione et libertate carent. Iam tolle de homine haec duo; tolles peccata: sed ipsam humanitatem tolles. Vnius Dei, hoc est, summae perfectionis est, quae in vnum Deum cadit, peccare non posse.

57. Sed est tamen coniuncta cum summa bonitate diuina perfecta etiam iustitia, quae ex bonitate sapienter administrata oritur, et sapiente dignissima est. (Ius Nat. §. 139.) Quoniam enim ita natura humana comparata est, vt omnes honestas actiones praemia, turpes autem poenae necessitate quadam naturali consequantur, (l. c. §. 17.) atque nullum adeo peccatum impunitatem habet, nullum recte factum sine praemio est; quis non videt, suum cuique a Deo tribui? in quo ipso iustitiae summa vis cernitur (l. c. §. 37.)

58. Neque natura tantum sua cuique virtuti praemia, et suae cuique peccato poenae sunt constitutae; sed ita etiam hic rerum ordo, haec rerum humanarum series est virtutibus cuiusque et vitiis accommodata, vt bonis multa iucunda, malis autem multa et maxima mala eueniant; quod quidem et sua quemque experientia, et historia omnis docebit. Inprimis illud saepissime accidit, vt, in quo quis peccat contra aliquem, in eo et contra ipsum deinde peccetur, aut in eo genere, in quo peccauit, et in ea parte corporis, qua peccauit, ipse deinde puniatur.

59. Quod si autem Deus in omnibus, quod optimum perfectissimumque est, sequitur (§. 46.) neque peccata sine poenis, aut recte facta sine praemiis sunt; efficitur, vt eius voluntas in opti-

optimum feratur, malum autem abhorreat, atque adeo sanctissima sit. Sanctum enim hunc dicimus, qui est a vitiis integer et purus, virtutibusque ornatus, hoc est, qui vero solidoque boni amore, ac mali odio ducitur.

60. Et quomodo tandem vel cogitari quicquam mali in Deo posset? aut quod vitii genus cadere in eius naturam posse putandum esset? Quicquid in hac terra vsquam aut fuit, aut est peccati, omne id aut ab ignorantia boni et mali, aut errore in iudicio de bonis malisque ferendo, aut denique a perturbationum et consuetudinum vi proficiscitur. Ignorantia autem et error in hoc genere a sensibus maximam partem est, a quibus et perturbationes ducuntur. Omnis consuetudo peccandi ab iisdem caussis oritur. Incitamenta vitiorum et nutrimenta corpus suppeditat ipsum, aut eius cura. Quare, cum haec omnia a Deo supra remota sint; (§. 30.) omne etiam vitium, omne peccatum ab eo recte remouemus.

61. Omne porro peccatum aliquem laedit, nempe eum, qui peccat, aut alium. Sed Deus ipse laedi nullo modo, quia est immutabilis, potest; neque alios etiam laedit. Qui enim alium laedunt, commodi alicuius falsa opinione commouentur. Sed Deus nec falli potest, nec ab aliis commodi quicquam percipere aut expectare potest. Ergo nec peccat.

62. Est autem haec sanctissima Dei voluntas ab omnibus perturbationibus et affectibus libera, atque vna ratione mouetur. Nam quoniam a sensibus proficiscuntur affectus, (Psych. §. 75.) qui in Deo nulli sunt (§. 30.); a natura diuina plane abhorrent. Itaque recte praecipiunt, cum verbis tribuantur affectus Deo, amor, odium, ira, gaudium, ceteri, *effectiue* id esse, non *affectiue* accipiendum, h. e. non ita, quasi amore, odio, ira commoueatur Deus, sed ita potius, vt Deum ea fere facere significetur, quae homines, amore, odio, ira commoti, facere solent.

63. Nunc explicatis proprietatibus diuinis, restat, vt de earum infinitate dicatur. Infinitum autem id dicitur, quod non potest esse maius, neque vel cogitatione augeri. (Ontol. §. 78.) Itaque, si omnes proprietates diuinas tantas esse ostenderimus, vt maiores concipi animo nequeant, omnes ab iis limites remouerimus. A potentia initium faciamus.

64. Haec sine dubio infinita recte putabitur, si nulla res a repugnantia libera esse potest, cui efficiendae ea non par sit. Sed supra vicimus, Deum e ceteris, qui esse possunt, mundis omnibus effeciisse hunc, in quo plus ac in reliquis perfectionis inesse videbat. (§. 46.) Non potest igitur dubium esse, quin multo magis etiam reliquos, qui ad huius nostri praestantiam et pulchri-

pulchritudinem minime accedunt, efficere eodem modo possit. Quare enim, in quo quis genere, quod praestantissimum est, potest, in eodem non et minus praestans efficere posse putandus sit? Quid autem potest esse possibile, quin alicuius possibilis mundi ambitu contineatur? Omnia igitur possibilia potentiae diuinae subiecta sunt, atque ipsa infinita est.

65. Atque ex hoc ipso duo intelliguntur. Primum est, potentiae diuinae nullos ponere limites, qui ei ἀδύνατα subtrahunt ac repugnantia, atque adeo non esse imperfectae naturae diuinae argumenta, quae Plinius putauit: *Imperfectae in homine naturae solatia praecipua, ne Deum quidem posse omnia. Namque nec sibi potest mortem consciscere, si velit - - nec facere, vt, qui vixit, non vixerit, qui honores gessit, non gesserit. Nullumque habere in praeterita ius - - atque, vt facetis quoque argumentis haec societas cum Deo copuletur, vt bis dena viginti non sint, ac multa similiter efficere non posse.* Hist. Nat. L. II. c. 7. Alterum est, potentiam efficiendorum miraculorum recte tribui Deo. Miracula enim dicuntur, non quae ἀδύνατα sunt, sed quae ex his naturae legibus, quae sunt, intelligi explicarique non possunt; cuiusmodi sunt, ferrum natare, ignem nullam vim habere in res, quas natura sua permeare et consumere potest. Quare cum supra demonstratum sit,

has, quae sunt, motus totiusque naturae leges non esse necessarias, sed alias iis substitui posse; etiam miracula fieri ab hoc posse cogitur, qui, quoniam earum auctor est, etiam earum dominus haberi debet.

66. Sed ad infinitatem potentiae illud etiam pertinet, vt, quidquid efficit, simul efficiat, sine successione, nisi quidem aut ipsius rei natura prohibeat, aut sapientes rationes impediant. Quae enim sua natura sunt successioni subiecta, vt non possint simul integra esse, ea nec simul a diuina potentia effici possunt. (§. 65.) Ceterum ipsae actiones diuinae nil successionis habent, quae in Deum plane non cadit. (§. 21.)

67. Eodem, quo in demonstranda infinita potentia Dei versati sumus, modo, intellectus diuini infinita magnitudo demonstratur. Nam primo, quia hunc mundum Deus reliquis possibilibus praetulit, omnes aeque ac hunc, atque adeo omnia possibilia cognita habeat, necesse est. Summa etiam in cognitione diuina lux est, nihil confusionis, nil obscuritatis, nil successionis. (§. 28.) Est ergo non dubitandum, aeque ac potentiam esse intellectum diuinum infinitum.

68. Bonitas infinita est, quae in omne bonum fertur, sed ita, vt, quo quid est melius, eo magis in id feratur, ac optimum vbique eligat: Sapientia infinita, quae optimos fines optimo modo

modo persequitur, atque eam ipsam ob caussam eos certissime assequitur: iustitia autem infinita, quae omne peccatum punit, omnibus recte factis sua praemia tribuit, atque in vtroque genere perfectissimam proportionem adhibet, vt nec poenae peccatis grauiores sint, nec praemia virtutibus, nisi praemio beneficium adiungere bonitati placeat: sanctitas denique infinita est, quae omne malum auersatur, omnia vitia detestatur, et ab iis libera est, et contra ea omnibus, quae cadere in eam naturam, cui inest, possunt, virtutibus ornata est, ac his tantis quidem, quantae esse possunt. Iam hae omnes definitiones, quin ad naturam diuinam transferri possint, qui superiora, quae sunt de his proprietatibus diuinis dicta, percepit, dubitare potest nemo. Itaque, singillatim de vnaquaque harum proprietatum dicere nihil attinet.

69. Priusquam autem hunc de proprietatibus diuinis locum relinquimus, duo breuiter attingenda sunt, de quibus hic vulgo exponi solet. Primum est, omnes proprietates diuinas in duo genera distribui solere: quorum primum earum est, quas *positiuas* dicunt; alterum autem harum, quas *negatiuas* appellant. Istas dicunt, quae perfectionem quandam indicant, vt aeternitatem, potentiam, sapientiam ceteras; has autem, quae non tam in perfectione aliqua ponuntur, sed potius rem imperfectam

ctam a Deo remouent. Sed in hoc posteriori genere cauendus est error, a quo plerique sibi patiuntur imponi, qui proprietates diuinas in hac distributione, notatione potius, quam notionibus aestimant, quod in vitio est (Dialect. §. 7.) Neque enim quae, si notationem vocabulorum spectes, negatiuae sunt, eaedem etiam notionibus negatiuae habendae sunt. Sic immortalitas est illa quidem grammatice negatiua proprietas, sed philosophice positiua est. Si enim mortis, quod nemo dubitat, negatiua est, immortalitatis positiua notio sit, necesse est. Atque sic de ceteris etiam iudicandum.

70. Alterum est, cognoscendarum perfectionum diuinarum triplicem esse, e scholasticorum doctrina, viam et modum. Primam *causalitatis* dicunt, quae ex effectis, hoc est, rebus a Deo conditis, causae et auctoris naturam colligit; non quo, quicquid in rebus omnibus est, ad Deum transferri posset, nam ita et extensio, grauitas et multa alia, quae naturae diuinae plane repugnant, Deo tribuenda essent, sed, vt eo, quo nos fecimus, modo ex effectis, qualis is esse debeat, qui ea effecit, intelligatur: alteram *negationis* vocant, qua quicquid in rebus omnibus imperfecti est, a Deo remouetur, vt mors, peccatum, cetera; qua quidem ipsa via ad positiuas etiam proprietates peruenitur, si quidem eas recte aestimare didiceris (§. 72.) tertiam *eminentiae*

nentiae appellant, qua quae perfectiones in rebus mortalibus sunt finitae et limitibus circumscriptae, ita tribuuntur Deo, vt omnes limitum angustiae remoueantur. Atque sunt quidem inter recentiores, qui has cognoscendarum perfectionum diuinarum rationes vehementer reprehendunt; sed si ita, vti nos fecimus, explicentur, nihil est, quod iis offendamur, neque quae contra eas obiiciuntur, locum possunt habere.

71. Nunc sitne inter has perfectiones diuinas, quam putant Athei, pugna eiusmodi, vt in eadem natura consistere nequeant, atque sit adeo nulla et repugnans notio, quae Dei esse putatur, paucis videamus. Ac illud quidem nec Athei, quantum scio, negant, has perfectiones, quas Deo tribuimus per se, ac remota infinitate, minime inter se pugnare, sed amico consensu conspirare; sed si infinitae omnes esse dicantur, tum vero non posse non pugnam inter eas existere putant: Neque enim comprehendi cogitatione ac intelligi posse, quomodo infinite benignus possit idem etiam infinite iustus esse, nec, totum illud infinitum, quale sit, intelligi; quae res argumento sit, ipsum infinitum repugnans esse. Sed haec omnia facilius dicuntur, quam probantur. Quod si tam essent, ac videri quidem volunt, acuti, qui haec iactant; accuratius, quaenam sit ista repugnantia,

tia, docere deberent. Sed hoc nemo vnquam aut fecit, aut faciet; neque poterit quisquam has demonstrationes conuincere, quas ad asserendam Deo infinitatem attulimus. His autem non sublatis, neque repugnantia illa demonstrata, nulla esse vis eorum poterit, quae ab Atheis ad eripiendam nobis tollendamque notionem diuinam dicuntur.

72. Infiniti notionem in se non esse repugnantem ex eo intelligi potest, quod in infinito, vt in infinita potentia, coniunguntur, quae eidem generi subiecta sunt, inter quae non magis pugna esse, ac inter eiusdem generis singula, potest. Nam quemadmodum numerus ex rebus eiusdem generis compositus non repugnat, ita nec infinita potentia, hoc est, cui nullae aliae, nisi possibiles res, etsi omnes, subiectae sunt, quicquam habere repugnantiae potest. Deinde, quae ad infinitum, in hac de Deo disputatione, referuntur, eiusmodi sunt, vt praeterea omnino nihil cogitari possit. Quid enim esse praeter possibilia potest, et quae maior adeo v. c. potentia cogitari, quam quae omnibus possibilibus efficiendis par est? quod quidem secus est in infinito numero, cuius etsi partes non pugnant inter se; illud tamen repugnat, numerum esse, quo maior nullus cogitari possit. Nam quantumcunque numerum facias, semper aliquid adiici potest,

id

id quod ex ipsa numeri notione intelligitur. (Arith. §. 3.)

73. Neque vero ipsae infinitae proprietates non possunt simul consistere. Nam primo, infinita potentia, non potest esse sine infinita intelligentia, quia, vti supra ostendimus, potentia eiusque applicatio sine intelligentia cogitari in Deo non potest. Ex infinita autem intelligentia ceterae deinde proprietates maximam partem colliguntur. Deinde, quae inter infinitam benignitatem et infinitam iustitiam esse videtur, non est vera pugna. Neque enim repugnat, benignitatem in se infinitam non infinito modo se exserere, sed in benefaciendo sapientiae leges sequi; quemadmodum ipsa potentia etiam non est propterea non infinita, quia non omnia possibilia efficit. Non est ea rerum, quae sunt, vt finitarum, natura, vt in iis infinita benignitas demonstrari possit, neque adeo, quia effectus eius finiti sunt, propterea etiam ipsa quoque limitibus circumscribenda est.

CAP. III.

De Operibus diuinis.

74.

NAtura ac proprietatibus diuinis, quantum per rationis humanae imbecillitatem fieri potest, explicatis, de operibus et actionibus diuinis

uinis, reſtat, vt dicamus. Operum autem diuinorum, de quibus hic quidem dicendum eſt, duo ſunt, creatio et prouidentia, ſiue ſapientiſſima mundi adminiſtratio.

75. Deum huius mundi eſſe auctorem, ſupra oſtendimus. Sed qua ratione eum effecerit, de eo vehementer diſputatum eſt. Et horum quidem perabſurda opinio eſt, qui totum hoc vniuerſum emanaſſe ex ipſa eſſentia diuina tanquam e materia quadam tradunt. (§. 21. conf. Ontol. §. 66.) Qui autem ex aeterna quadam materia a Deo tanquam architecto effectum hunc mundum eſſe et exornatum dicunt; non vident ſe aeternitatem neceſſitatemque rei eiusmodi tribuere, in quam cadere minime poſſunt (§. 15.). Reſtat itaque tertium illud, vt e nihilo ortum hoc uniuerſum ſit. Quod quidem non hanc vim habet, quaſi e nihilo, tanquam materia quadam, hic mundus extiterit, quod fieri non potuit (Ontol. §. 96.); ſed hanc potius, nullam rem fuiſſe, ex qua Dei actione mundus effectus ſit, ſed voluntati et potentiae diuinae, quicquid huius mundi eſt, et materiam et formam deberi.

76. Hic vero non poſſumus mirari ſatis, quid ſit, quare neque inter tot ſapientiſſimos Graecos, a quibus omnis philoſophia et Matheſis cum ceteris artibus inuentae et mirifice excultae ſunt, vt ad ſummam pene perfectionem a tenu-

a tenuissimis initiis ab eadem gente perductae videantur, neque inter Romanos quisquam extiterit, qui, quod facillime videtur demonstrari posse, viderit, ac nullam Deo, mundum efficienti, materiam subiecerit. Nam quae quidam eo afferunt (*) ex Graecis latinisque scriptoribus loca, vt quosdam veterum id vidisse, ostendant, eiusmodi sunt, facile vt demonstrari possit, longe aliam veteres, ac nos, sententiam verbo nihili subiecisse, et minime ab origine mundi omnem aeternam materiam remouisse. (**) Atque ea res indicio est, difficillimum esse, creationem mundi e nihilo sola ratione intelligere, ac sine dubio nunquam in eam sententiam quemquam venturum fuisse, nisi diuinitus hic mundi effecti modus traditus nobis esset. Nam nemo non videt, facilius esse, rebus cognitis, qualiacunque argumenta inuenire, quam argumentis ad rem incognitam peruenire. Itaque recte huc traxeris, quod contra Deistas, qui pleraque, quae in Sacro Codice traduntur, aut

(*) v. c. Huet. Quaest. Alnet. L. II. c. 5.

(**) Hoc eruditissime demonstrauit summus nostrae aetatis Theologus, Moshemius, in Diss. de quaestione: Num Philosophorum a religione vera auersorum aliquis mundum a Deo ex nihilo creatum esse docuerit. T. II. Cudworthiani systematis inserta, p. 957.

aut praecipua saltem, vna ratione duce inueniri posse dicunt, Celeb. Werenfelsius monet. (*) *Tunc haec, ratione sola duce, intelligi posse, dicendum fuisset, si per totam vitam de religione nihil a quoquam audissent. Nunc vero similes esse mihi videntur iis, qui, postquam a praeceptoribus, quicquid sciunt, didicerunt, videri tamen volunt* αὐτοδίδακτοι: *aut, cum de praeclaris inuentis audiunt, putant, se haec omnia, nisi iam inuenta essent, ipsos fuisse inuenturos. Quodsi cognoscere velimus, quid possit ratio hominis in inuenienda religione; non nostram rationem consulere debemus, quos verbum Dei in viam deduxit, -- sed rationem illorum, quibus hoc verbum fuit aut est ignotum.*

77. Eiusdem generis alterum illud est, quod quaeritur: ab aeterno mundus creatus sit, nec ne? Quae res quoniam est in facto posita, non potest certe ex ratione intelligi aut decerni; nisi quidem hoc demonstrari possit, plane repugnare, aut naturae diuinae, ab aeterno creare, aut rebus finitis, ab aeterno creari. Ac in priori quidem quae repugnantia sit, non video. Non enim intelligi potest, quod Deus certo temporis momento potuit efficere, quare non ab aeterno efficere potuerit? de posteriori autem

(*) de Praestantia relig. reuelat. in opusc. Theol. Philos. Philol. p. 75.

autem in vtramque partem disputari video. Itaque hic quoque reuelatae religionis praestantia et prae naturali praerogatiua agnoscenda est.

78. Quo consilio mundi effectionem decreuerit Deus, supra ostendimus. (§. 48.) In eo decreto summa eum libertate, sed sapientiae tamen consentanea, vsum esse, id ipsum quoque vicimus (§. 41. seq.) Vnum illud igitur, restat, vt moneamus, ne aut in decreto diuino, aut in actione creandi vniuersi ipsa quaedam successio et temporis duratio cogitetur, quae in Deum minime cadit (§. 29. 66.) Vnum ergo proprie decretum diuinum est, cuius vis ad vniuersum mundum pertinet. Ac quod a nobis quidam quasi decretorum diuinorum ordines cogitantur ac traduntur, id non eo fit, vt eiusmodi ordine et successione a Deo facta esse decreta statuamus, sed vt aliquo modo de his rebus et cogitare et loqui possimus. Quoniam autem ordo decretorum diuinorum, qui dicitur, in hoc positus est, vt, quod decretum alterius ratio esse et caussa possit, intelligatur; illud inprimis videndum est, ne in hoc ordine constituendo a sapientia aut bonitate iustitiaque diuina aberremus.

79. Quod vero ad alterum illud attinet, actionem efficiendi mundi nullo temporis spatio extendendam esse; id ita accipi debet, vt

primo, de creatione mundi, qua materia qualicunque constat, non autem eius quasi exornatione, deinde non tam de diuersis, quam singulis actionibus valeat, a quibus ipse Sacer Codex omnem durationem remouet: Fiat lux: et facta est lux. Atque haec ipsa actionum omnium diuinarum, atque adeo etiam huius, de qua nunc loquimur, natura efficit, vt a nobis intelligi, et distinctae earum notiones animis nostris informari nequeant. (Dial. §. 19.)

80. Qui autem queruntur, non posse intelligi, quid ante mundum conditum fuerit, et quale sit id, quod nihil aliquando praeter Deum fuisse dicatur, merito risu excipiendi sunt. Neque enim ea res mira videri debet, quae aliter esse non potest. Nihil enim per se cogitari non potest, quia, si cogitari posset, ac eius quasi imago effingi mente ac cogitatione, non esset nihil.

81. Peractam vniuersi creationem, prouidentia diuina statim excepit, hoc est, cura perpetua huius vniuersi et rerum omnium, cum maximarum, tum minimarum. Qui enim prouidentiae diuinae res minimas quasque subtrahunt, minimeque putant Deum decere, eius maiestatem deduci non modo vsque ad formicarum et muscarum pulueriſque perfectionem, sed etiam curam, non vident, male se diuinam maiestatem humana imbecillitate metiri.

Nam

Nam primo, quod minima non curant reges, non id propterea fit, quasi ipsorum persona indignum esset, omnia, maxima, minima, curare, sed quod hominis vnius cura tot rebus non sufficit. Quis enim non hunc summum putaret regem, qui omnia vnus curare, ac totius regni administrationem perfectam solus gerere posset? Deinde, quae cura a Deo vniuersi geritur, non quicquam laboris aut molestiae habet, quae in Deum non cadit, vt propterea eius maiestate indigna videri debeat. Denique si Deus omnia, etiam minima videt, aeque ac summa quaeque, quare non eorum etiam curam gereret, inprimis cum in iis non minus luculenta potentiae et sapientiae diuinae vestigia reperiantur, atque in maximis rebus, et natura, vt Plinius ait, nusquam magis ac in minimis tota sit.

82. Haec autem vniuersi cura et administratio duabus rebus cernitur, nempe conseruatione mundi et gubernatione. Et conseruatio quidem nihil aliud est, nisi continuatio eius voluntatis diuinae, qua hoc vniuersum effecit: neque enim alio modo nisi solo voluntatis motu et nutu res quasque Deus perficit. Ex quo intelligitur primo, conseruationem, quoniam ab ipsa mundi perfectione non nisi in hoc differt, quod haec ad mundum nondum effectum pertinet, illa autem in eo iam perfecto et absoluto

versatur, non male creationem secundam aut continuatam appellari; deinde conseruationis vim non in hoc tantum a nobis poni, vt non destruat Deus et ad nihilum redigat vniuersum, sed vim ipsam diuinam eandemque a nobis ad res conseruandas adhiberi, quae mundum primum perfecit. Neque id, vt quibusdam videtur, praeter rem fit. Est enim haec rerum fortuitarum natura, vt non propria vi sint, sed aliena, scilicet naturae cuiusdam necessariae, hoc est, Dei vi ac voluntate, ex qua semper pendeant, ad nihilum statim abiturae, si vis ista subtraheretur, aut voluntatis diuinae decretum mutaretur. Ex quo manifeste apparet, nullam rem fortuitam, adeoque nec vniuersum hoc sua vi propria quadam perdurare posse.

83. Ne autem, quoniam res omnes diuina virtute et exstitisse, et conseruari ostendimus, mali etiam originem ad Deum tanquam auctorem et causam referamus, quae res vere sint voluntati diuinae, et in perficiendo et in conseruando mundo quasi subiectae, videndum est. In omni re duo inueniuntur, bonum scilicet et malum. Malum autem in boni absentia ponitur. Ex quo facile intelligitur, nulla causae alicuius efficientis vi opus esse ad malum efficiendum, adeoque nec creationem, nec conseruationem ad malum pertinere, sed, quae in qua-

quaque re sunt, bona tantum ad Deum tanquam auctorem conseruatoremque referri.

84. Cum conseruatione coniuncta est Dei ad actiones rerum quasque tanquam caussae adiuuantis accessio (concursus) de qua non eaedem Philosophorum sententiae sunt. Actio quaeque haberi pro effectu caussae agentis potest. Omnis autem conficiens caussa alia est absoluta et perfecta per se, alia aliquid adiuuans et efficiendi socia quaedam (Ontol. §. 93.) Itaque hoc quaeritur, a quibus caussis actiones proficiscuntur, perfectaene actionum caussae sint, an Deum habeant adiuuantem ita, vt neque caussa creata, neque Deus eam sibi integram vindicare possit.

85. Qui negant, vllam actionis a caussa creata profectae partem ad Deum pertinere, hoc inprimis mouentur, quod non vident, quomodo a culpa libera manere diuina natura possit, si hominem in prauis actionibus susciendis perficiendisque adiuuet. Sed non vident, quod paullo ante monuimus (§. 83.), non, qua mala est, actionem a Deo vna effici, sed quatenus a vi quadam naturali corporis animiue ducitur, quae mala esse non potest. Itaque Scholastici bene distinguunt in omni actione duo; quorum alterum reale dicunt vel materiale, alterum formale. In furto, verbi caussa, materiale dicunt, extensionem manus ad rem auferendam,

quae a vi corporis repetitur; formale autem dicunt hoc esse, quod ad rem alienam, non suam extendatur manus. Iam Dei adiuuantis actionem non in formali illo, quod nullam vim desideret, sed in materiali vnice versari, in quo nihil mali vitiique insit. Quod itaque bonum in actione quaque sit, id cum Deo communicandum esse, quod malum, vni homini relinquendum.

86. Atque si quis actionum quarumcunque naturam, et ipsius conseruationis modum perspectum habeat, non dubium est, quin facile in sententiam eorum concedat, qui sociis Dei causarumque creatarum viribus actiones quasque perfici arbitrantur. In omni enim actione cogitanda primo est vis quaedam, hoc est, nisus et conatus ad aliquid efficiendum, (Ontol. §. 74.) et eius nisus quidem modus et ratio, quae a temporibus, locis, hominibus, ceteris pendet. Vis, cuius maximum in actionibus perficiendis est momentum, rei perpetuo inest, atque adeo cum re tota conseruatur vi diuina. (§. 82.) Itaque eo ipso tempore, quo actio fit, Deus illum nisum, illum agendi conatum vi sua ac voluntate intendit, ne eius remissio fieri possit. Ex quo manifeste apparet, actionem ipsam, Deo iuuante, perfici.

87. Neque vero hic Dei caussam creatam adiuuantis accessus libertati humanae repugnat.

Deus

Deus enim non ita cum cauſſis creatis agit, vt non poſſint non agere, neque vt non liberum ipſis, quid potius agere velint, relinquatur. Haec enim omnia non ad ipſius actionis eſſentiam pertinent, ſed ad eius modos potius, quorum diuina vis et auxilium nullam ſibi partem vindicat.

88. Altera pars prouidentiae diuinae in huius vniuerſi gubernatione poſita eſt, ac, vt prior illa ad potentiam, ita ad ſapientiam et benignitatem diuinam refertur. Ea enim efficit, vt omnia, quae in mundo ſunt et accidunt, tandem ad finem illum conſpirent, quem Deus ſibi in mundo efficiendo propoſitum habuit, hoc eſt, vt ex toto mundo et omnibus, quae in eo fiunt, ſumma tandem ad Deum gloria redundet. Quare qui, quae de ſapientia diuina tradidimus, percepit, facilis in hac diuina mundi gubernatione admittenda erit. Qui autem ipſam experientiam, cum alienam, tum ſuam, adhibere voluerit, luculenta vbique huius gubernationis diuinae veſtigia inueniet.

89. Sed quia gloria diuina ex vniuerſi pulchritudine ſingularumque partium perfectione, et, ſi ratione gaudent, felicitate oritur; facile intelligitur, gubernationem diuinam in hoc inprimis elucere, quod tantum et mundo, et rebus omnibus perfectionum bonorumque tribuit, quantum, ſalua ſapientia et iuſtitia, fieri poteſt, nihilque

a ſua parte deſiderari patitur, quod ad hominum felicitatem pertineat; quae autem mala iis accidunt, ad ipſorum ſalutem ſummamque vtilitatem conuertit. (§. 49. ſq.)

90. Nunc etiam intelligi poterit, quod dicunt, Deum omnibus rebus praeſentem eſſe, recte ſtatui; in quo tamen cauendum eſt, ne praeſentiam diuinam ea metiamur, quae corporum eſt, et locis certis definitur. Praeſentem dicimus hunc, qui nos videt, audit, cuius omnes ſenſus quodammodo a corpore noſtro impelluntur aut impelli poſſunt, quique agere in ipſum corpus noſtrum aut ſermone aut tactu, alioue modo poteſt. A qua notione ſi remoueris quicquid imperfecti ei ineſt, relinquetur hoc, vt, cum Deum omnibus rebus praeſentem facimus, ei cognitionem omnium rerum, quae ſunt, clariſſimam et facultatem in res omnes, pro arbitrio, agendi tribuamus, quod his maxime conſentaneum eſt, quae de intellectu diuino et conſeruatione non modo rerum omnium, ſed etiam eius tanquam adiuuantis cauſſae acceſſione ad actiones cauſſarum creatarum diximus. (§. 82. 84. ſeq.)

91. Ad prouidentiam diuinam impugnandam maxime malo abuti, atque hoc inprimis, ſolent, quod ad mores pertinet. Neque enim putant, haec inter ſe conciliari vllo modo poſſe, Deum, qui ſumma bonitate ſit, vt malum impedire

velle

velle deberet, ſumma potentia, vt poſſet, et ſapientiſſimam vniuerſi curam gerat, eundem permiſiſſe, vt in mundum irruperit infinita malorum cohors, quibus mirum in modum vexetur vniuerſum genus humanum, maxima etiam pars miſerrima fiat. Itaque hanc obiectionem, quia in ipſam perfectionem diuinam intenditur, breuiter diluemus.

92. Omne malum in tria genera diſtribuitur; quorum primum metaphyſicum, alterum phyſicum, morale tertium appellant. Metaphyſicum, quicquid imperfecti natura ſua in rebus eſt, atque ab eſſentia earum arceſſitur; phyſicum autem omnes corporis morbos doloresque complectitur. In quo vtroque genere nihil eſt, quod ad obſcurandam bonitatem ſapientiamque diuinam valere poſſit. Quae enim ab eſſentiis rerum proficiſcuntur et rerum natura, neceſſaria ſunt, neque potentia diuina mutari poſſunt, niſi omnem earum rerum procreationem omittere velit. Sed quoniam maxima pars malorum phyſicorum a tertio mali genere, quod in vitiis poſitum eſt, oritur, de eo inprimis dicendum eſt.

93. In difficili hac re duae quaeſtiones ſunt; quarum altera eſt de origine, altera de permiſſione mali. Et prima quidem ipſa quoque duas quaſi partes habet. Primo enim, quomodo malum oriri poſſit, deinde vero, quomodo

modo primum ortum sit, quaeri potest. Sed posteriorem quaestionem, quia est de re in facto posita, quae ad philosophiam minime pertinet, hoc loco praetermittimus. Ratio enim, cum de rebus huiusmodi, historiae luce non adhibita, colligit, dici non potest, quae monstra gignat; id quod vel ex his intelligi potest, quae a priscis hominibus, a vera religione aversis, de hac mali origine credita sunt.

94. Quomodo in nostrum quoque peccata existant, nemo ignorat. Scilicet, primo, quia sensus obscuritatem cognitioni nostrae afferunt, et propterea variis erroribus impedimur, fieri potest, vt quod bonum est, malum, quod autem malum est, bonum putemus: deinde, quia sensus facile affectibus animum commouent, fieri potest, vt neque attentio neque consideratio obiecti boni et mali iusta adhibeatur; itaque, quia voluntas, in decernendis actionibus, iudiciis de bono et malo ducitur, accidere etiam potest, vt actio mala suscipiatur. (Dial. §. 97. Psych. 26. 27. 61. 75. 82. sq.)

95. Iam quoniam in nulla re quicquam existere potest, cuius non ab essentia repeti possit ratio, ex qua, quare fieri potuerit, intelligatur (ontol. §. 16.); efficitur, vt ex ipsa hominis natura intelligi possit, non quare homines peccent, (l. c.) sed quamobrem peccare possint. Quid est autem in hominis natura, e quo id colligi

colligi possit, nisi facultatum quarumuis imbecillitas, et limites, quibus circumscriptae animi vires sunt? His enim sublatis, nullus neque errori, neque adeo peccato locus relinqueretur; vnde, id quod supra demonstrauimus, naturae diuinae, quia perfectissima est et infinita, plane repugnat, peccare posse.

96. Ex his intelligitur, primo mali moralis primas causas esse a malo metaphysico repetendas: in quo admittendo cum nihil, quod bonitati suae aut sanctitati repugnet, fecerit Deus (§. 92.); neque hoc vitio dari Deo potest, quod eiusmodi naturam humanam fecit, vt peccare possit. Deinde vero illud etiam ex ipso modo, quo peccatum omne oritur, colligi potest, quod Philosophi pariter atque Theologi recte statuunt, ex abusu, siue intermisso potius pleno perfectoque libertatis vsu peccatum exstitisse. Nam etsi ipsum quoque peccatum libertati subiectum est; tamen, quia peccatum aut ex non adhibita attentione, aut omissa consideratione rerum diligentiori oritur, (§. 94.) si libertatis pleno iure vti homo voluisset, poterat attentionem adhibere, et, quam bonam putabat rem, accuratius considerare, donec inani boni specie se deceptum esse intelligeret, atque adeo a peccato abstraheretur.

97. Sed

97. Sed inde etiam quidam criminandae bonitatis diuinae occasionem sumunt. Negant enim ei conuenire, facultatem huiusmodi tribuere hominibus, quam certo sciat ipsis perniciosam fore, meliusque fuisse, necessitati adstringere eorum voluntatem, modo ita a peccato integri seruarentur. Et haberent quidem haec aliquam speciem ac vim, nisi primo, non tam libertatis, quam eius peruersi vsus vitio accideret, vt ea noxia hominibus fiat, deinde sine ea humana natura non consistere posset. Nam cum ratione necessario quodam vinculo copulata est libertas, neque, nisi sublata ratione, tolli ab homine potest. Quare, cum homines creare sapientiae diuinae placuisset, non poterat non eis libertatem tribuere.

98. Altera quaestio est de non impedito malo. Nam si etiam concesseris, in ipso malo, quatenus vna hominis culpa oritur, a culpa omni vacuum esse Deum; illud tamen relinquitur: quare, cum potuerit impedire Deus, quo minus existeret malum, fuerit tamen, eo genus humanum inquinari? Tota autem haec eo redit, vt, possitne salua sanctitate, sapientia et bonitate permitti malum, cum, per vires quidem, impediri potest, et possitne eiusmodi tempus esse et locus, vbi sapientiae magis consentaneum sit non impedire malum, quam impedire? Iam primo, illud facile intelligitur, si Deus hominem

minem omnibus iis rebus instruxit, quae ad peccati vim debilitandam, eique aditum in animum obstruendum pertinent, salua iustitia et sanctitate eum posse ab impediendo peccato abstinere. Quid enim amplius a Deo requiras, quam ita facere hominem, vt, si velit, a peccando abstinere possit; nisi vero, hoc iure, a Deo postulari posse putes, vt perpetuis miraculis Deus nascens peccatum opprimat, atque libertatem homini auferat, sine qua humanam naturam consistere non posse vidimus? Nihil autem homini vel ad virtutem vel ad vitii fugam deesse, ipsa ratio et libertas cum ceteris facultatibus homini attributis ostendunt, quarum haec vis est, ut et verum a falso, bonum a malo, si diligentia adhibeatur, discerni, et quod cuique maxime placet, eligi possit, inprimis cum haec voluntatis natura sit, vt vno bono moueatur, neque malis, nisi quia specie boni eum decipiunt, ducatur.

99. Deinde illud etiam nemo potest negare, malum impediri a Deo recte non posse, atque adeo liberam peccandi voluntatem relinquendam homini esse, si ex peccato non impedito plus oriatur boni, atque ex impedito mali. (§. 49. sq.) Atque id in hoc nostro negotio locum habere, non potest id quidem a posteriori, vti loquuntur, intelligi, sed, quam in reliquis rebus demonstrauit Deus, sapientia, bonitas maximopere suadet, vt credamus. Tempus erit,

erit, vbi, dissipatis et discussis ignorantiae errorisque nebulis, plenius, ac in hac rerum obscuritate, intelligere poterimus, omnia etiam in hac re sapientiae summae consentanea esse, totumque hoc vniuersum, eiusque administrationem esse eiusmodi, qualem Balbus apud Ciceronem de natura Deorum dicit: *Mundi administratio nihil habet, quod reprehendi queat. Ex iis enim naturis, quae erant, quod effici potuit, effectum est. Doceat ergo aliquis, potuisse melius. Sed nemo vnquam docebit; et si quis corrigere aliquid volet, aut deterius faciet, aut id, quod fieri non potuit, desiderabit.* Lib. II. c. 34.

CAP. IV.
De Cultu Diuino.

100.

EXplicatis his, quae ad naturam diuinam pertinent, consequens est, vt, quo tandem modo colenda haec natura sit, qui ea satis digna videatur doceamus. Hic primum illud non obscurum est, quia a perfectionibus, et, quae ab his proficiscuntur, actionibus diuinis repetitur ratio, quare colendus a nobis Deus sit, ad quod suscipiendum, faciendumque hae Dei et perfectiones et actiones nos impellunt, quodque eiusmodi est, vt ex eo intelligi possit, esse animum diuinarum perfectionum cognitione imbutum, id omne ad cultum

cultum diuinum iure meritoque referri. Quare cum, vt omnes, ita hae etiam actiones, vel ab animi, vel a corporis viribus proficiſci poſſunt, recte vniuerſa Dei colendi ratio in duo genera, alterum internum, qui pietate continetur, alterum externum, diſtribuetur. Ex ipſa autem cultus diuini definitione intelligi hoc poteſt, ſine externo quidem internum, externum autem ſine interno conſiſtere ac verum cultum eſſe non poſſe.

101. Sed ad quas actiones ſuſcipiendas diuinarum perfectionum cogitatio cohortari nos poteſt, non vnius generis ſunt. Nam aliae huiusmodi ſunt, vt ſublato Deo, et ipſae tollantur; aliae autem, etiamſi nulla natura eſſet visque diuina, nihilominus ſuſciperentur. Ad ſuperius genus pertinent, amor Dei, reuerentia, adoratio, preces, ceterae; huic autem ſubiectae ceterae omnes actiones ſunt, quae libertati humanae ſubſunt, vt, edere, bibere, laborare, depoſitum reddere, temperantem eſſe, liberos procreare. Scilicet eadem actio diuerſis de cauſſis ſuſcipi poteſt, quarum alia aliis grauior eſt et praeſtantior: Vt non male, quicquid eſt virtutum, in quatuor claſſes diſtribuatur, naturalium, ciuilium, theologicarum et chriſtianarum. Ad primam claſſem pertinent hae, quas ob cauſſas a natura ipſarum actionum aut humana

etiam repetitas consectamur; quales sunt fere omnes hae, de quibus in Philosophia morum exposuimus. Ad alteram classem has referas, in quibus vtilitatem publicam inprimis spectamus; ad tertiam, quarum caussae a perfectionibus diuinis ducuntur, et ad quartam denique, quae religionis Christianae virtute comparantur. Ex quibus intelligitur, primo, si qua virtus eam ob caussam colatur, quia perfectionibus diuinis consentanea videtur, non esse eam peculiarem quandam virtutem, sed virtutis excellentiorem quendam maioremque gradum; deinde totam vitam humanam cultum Dei perpetuum esse posse.

102. Quia vniuersa natura a Deo est, non poterit non et ipse auctor legum naturalium esse; vt qui leges naturae seruet, Dei leges seruet, qui eas autem migrat, ipsi Deo aduersetur. Itaque etiam haec nos ad seruandas naturae leges magnopere concitare debent, quod voluntatis diuinae decreto latae sunt et constitutae, et quod, qui iis se accommodat, non potest non gratus Deo et acceptus esse. Inprimis fas erit gratissimo animo agnoscere et summis laudibus celebrare diuinam benignitatem et clementiam quae in legibus ipsius cernitur, quod non alias nobis, nisi huiusmodi dedit, sine quibus felicitas vera haberi nulla potest, non autem, quod stulti homi-

homines faciunt et impii, conqueri, quasi inique nobiscum agat Deus, qui duris legibus nostra nos libertate et omni vitae suauitate priuet.

103. Sed ad eam cultus diuini partem veniamus, quae, sublata natura diuina, ipsa quoque tollitur. In ea parte primum est, vt recte de Deo sentiamus, ei potentiam suam, bonitatem, sapientiam reddamus, neque ea ipsi tribuamus, quae perfectionibus his repugnant. Nisi enim recte de Deo senseris, non poteris eum etiam recte colere. Itaque omnis superstitio, quae est falsa et peruersa Dei colendi ratio, his actionibus fauorem diuinum beneuolentiamque quaerens, quae ei non modo non grata esse possunt, sed displiceant etiam necesse est, ea omnis, inquam ab ignorata natura diuina proficiscitur.

104. Alterum est, perfectionum diuinarum cognitione ita affici animo, vt Deum summo honore, amore prosequare, eum reuereare, in eo spem omnem et fiduciam ponas, et apud eum tutissimum tibi in omni calamitatum genere perfugium esse abritrere. De his singillatim, sed breuissime, dicemus.

105. Honore digni sunt hi, qui perfectione aliqua ac virtute singulari praediti sunt. Ac

quo plures cuique insunt maioresque, eo maiori honore quoque, dignus est, qui afficiatur. Itaque, quoniam plurimis iisque summis ac omnem cogitationem humanam superantibus abundat natura diuina, nullus non modo honor tantus esse potest, quin iure meritoque Deo tribuatur, sed neque satis magno quisquam ac perfectionum diuinarum magnitudini recte respondente honore eam prosequi poterit. Sed quoniam, quem cuique tribuimus, honor opinionibus de eius virtutibus respondet; quo quis maiori perfectionum diuinarum cognitione imbutus est, eo etiam maiori eum honore afficit. Ex quo intelligitur, ad dignum Deo cultum inprimis prodesse, eius perfectionibus cognoscendis diligentissime operam dare, atque ab omnibus peruersis et malignis de Deo opinionibus auocare animum et liberare.

106. Signa animi, honore iusto Deum prosequentis, sunt, cum summa modestia ac reuerentia de eo loqui, eius nomine ad res ludicras et turpes non abuti, nihilque neque facere neque dicere, ex quo suspicio cuiquam animi de Deo minus recte sentientis nasci possit, denique, quae vulgo honoris significationes putantur, has quoque in sermonibus de Deo adhibere.

107.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0472
DFG

107. Amor ex pulchritudine nascitur, hoc est, ex eo perfectionum genere, quod suauitatem aliquam habet, et iucundum sensum affert. (Psych. §. 64. 62.) Quare, cum non huiusmodi perfectiones tantum in Deo sint, quae admirationem commouent, sed etiam quae, quoniam ad salutem nostram referuntur, insigni delectatione perfundere animum recte cognitae possunt; dubium esse non potest, quin summus amor Deo debeatur. Et quoniam, vt quidque pulchrius nobis videtur, ita magis amatur; quo quis plus Dei bonitatem sapientiamque cognoscit, eo vehementius eum amabit. Merito autem maiori, atque ceteras res omnes, amore Deum prosequimur, quia nihil ad eius bonitatem sapientiamque accedit.

108. Signa huius amoris sunt, studium Deo placendi, libenter et frequenter de eo loqui, cogitare et audire. Itaque, qui Deum vere amat, nihil magis operam dabit, quam vt legem diuinam seruet, totamque vitam ad eius praescriptum componat.

109. Quoniam autem amorem hunc apud plerosque impedit et debilitat ea opinio, quae leges diuinas hominum commodis, et libertati, et vitae humanae suauitati obesse, ac non satis humanis vel necessitatibus vel delectationibus

prospexisse Deum putat; eas opiniones plane ex animis, quia absurdae sunt, euellendas curabimus.

110. Ex hoc ipso amore, id quod facile intelligitur (§. 108.) existit etiam reuerentia Dei, inprimis si sanctitatis iustitiaeque diuinae cognitione animus imbutus est; quae est in hoc posita, vt sollicite caueamus, ne quicquam, quod Deo displicere potest, faciamus, aut quod ipsi gratum est, omittamus. Itaque hic amor atque haec reuerentia gignet etiam obedientiam legi diuinae praestandam, inprimis si vitam nos omniaque nostra Deo accepta referre, atque adeo sub eius imperio esse, cogitauerimus.

111. Hanc reuerentiam, qui timorem appellant, minus commode loqui videntur. Est enim timor ex opinione mali, et molestus natura, minimeque iucundus. Non autem consentaneum est, ad cultum Dei referre, quae molestum animo sensum afferunt, cum haec cultus diuini praecipua laus sit, quod his ipsis summam voluptatem, atque adeo ipsam felicitatem, affert, qui ei operam dant. Ac sunt quidem, qui, quare Deum timeant, satis caussae habent, hi scilicet, qui criminibus poenas diuinas commeriti sunt. Sed nec hunc timorem ad cultum diuinum pertinere dixeris, etsi ceterum

terum minime negandum sit, prodesse eum timorem posse, si scilicet eo nos ad Deum rectius colendum, virtutemque sectandam compelli sinamus. Idem autem timor, si est a vera Dei cognitione seiunctus, superstitionis esse magister solet.

112. Sed nulla praestantior est Dei colendi ratio, quam fiducia in eo posita, qua certo credimus, nos sub eius tutela aç prouidentia felices fore, nihilque nobis defuturum vnquam, quod ad veram felicitatem pertineat. Nam et ex omnium fere perfectionum diuinarum cognitione existit, adeoque honorifica Deo est, et summum eius amorem efficiat, necesse est. (§. 105. 107.) Vt enim haec fiducia oriatur, primo, vt, Deum te felicem reddere posse, deinde, vt, velle etiam, scias. Vt posse credas, summam in Deo scientiam, sapientiam potentiamque esse statuas oportet; vt autem, velle, summam bonitatem. Quomodo enim auxilium et salutem a Deo exspectes, nisi certo scias, omnia ei perspecta esse, quae in hoc mundo agantur et fiant, quibus indigeas, quibus malis vrgeare, cetera; nullam rem esse, quae quomodo effici possit, ipse ignoret, aut cui efficiendae eius potentia par esse nequeat, et naturam denique eius esse amantissimam hominum, tanquam re-

rum a se creatarum, et beneficentissimam, vt nullum verum bonum sit, quin ab eo expectare liceat.

113. Cum hac autem fiducia coniunctum sit necesse est hoc, vt in voluntate divina acquiescamus, et aequo animo feramus omnia, quae nobis accidunt, qualia demum cunque nobis videantur, quoniam persuasi sumus, nihil nobis, nisi volente et sinente Deo, accidere posse, eum autem nihil vlli rei in nos permissurum, quod vere miseros nos reddere possit; ex quo summa etiam tranquillitas et securitas oritur, quae et ipsa magna felicitatis pars est.

114. In hac autem pietatis parte cauenda sunt duo; quorum alterum est, ne ignauiam afferat, alterum autem, ne cum perfectionibus diuinis pugnet. Nam quoniam lex naturae, atque adeo ipse Deus diligentiam in negotiis ad humanam vitam pertinentibus praecipit, non potest esse grata fiducia, quae a legis diuinae rationibus abhorret. Qui autem huiusmodi res a Deo sperant, quas si eis tribueret Deus, aut sapientiam, aut bonitatem, aut iustitiam laederet; non vident, se non tam colere Deum, ac honore afficere, quam summa contumelia afficere. Quare quoniam quid nobis vere prosit, ac sapientiae ceterisque perfectio-

fectionibus diuinis consentaneum sit, non semper intelligimus; optimum erit, nihil a Deo neque expectare, neque contendere, nisi quod ipse nobis profuturum putet:

Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Conueniat nobis, rebusque sit vtile nostris.
Nam, pro iucundis, aptissima quaeque dabunt DI.
Carior est illis homo, quam sibi. Iuuenal. Sat. X. 347.

115. Fiduciae huic impedimenta solent ab aduersis rebus obiici, quae nobis accidunt. Nequeunt enim multi eas cum bonitate diuina conciliare. Sed haec quomodo impedimenta remoueri possint, alibi docuimus. (Eth. §. 17. et Theol. §. 53.) Maxime autem praeterea est fiduciae huic inimica conscientia male actae vitae, quae poenas nos potius a iustitia diuina, quam felicitatem expectare iubet. Huius autem conscientiae vim ex parte infringemus, si, relictis vitiis, virtutem colemus, atque ita vitam instituemus, vt Deo grata esse possit; omnem autem non tollemus, quia, etiamsi praesens vitae ratio culpa vacat, praeterita tamen poenas efflagitare videtur. Itaque huic rei

nihil praeter religionem Christianam mederi potest.

116. E fiducia in Deo precum ratio pendet, quae sunt desideria rerum ad salutem nostram pertinentium, eaque vel intra animi fines se continentia, aut verbis etiam expressa. Omnes enim verae preces a fiducia illa proficiscuntur, neque quisquam ab ullo quicquam petit, si aut, quo sit in se animo, nescit, aut, neque posse eum, neque velle se adiuuare, compertum habet.

117. Quoniam autem preces verbis expressae, id quod ex ipsa definitione intelligitur, non possunt seiunctae esse a desideriis cogitationibusque internis; efficitur, vt non sint verae preces, quae ex formula aliqua recitantur, nisi, quae singulis verbis subiectae sint sententiae, recte intelligatur, atque in ipsa verborum recitatione, eorum sensus et vis animo occurrat.

118. Et quoniam minime obscurum est, preces hanc ob caussam ad cultum diuinum pertinere, quia fiduciam declarant, quam in Deo ponimus, id quod ad gloriam diuinam pertinet; cogitur, nullas preces gratas Deo esse posse, quae non sunt cum ea spe auxilii diuini coniunctae. Atque eam ipsam ob caussam cauendum

uendum est, ne argumentum precum sit perfectionibus diuinis non consentaneum.

119. Exercitia pietatis sunt eae actiones, quibus pietas conseruatur, confirmatur et augetur. Augetur autem, crebris de Deo cogitationibus, lectione librorum de rebus diuinis exponentium, precibus cum sola mente ac cogitatione peractis, tum vero etiam verbis expressis, conuentibus sacrorum caussa institutis. Itaque haec omnia ad pietatis exercitia pertinent, diligenterque adhibenda sunt; modo caueatur, ne haec animos decipiat opinio, quasi haec per se, quatenus aguntur corpore, prosint. Eadem vero etiam ad cultum externum pertinent maximam partem.

120. Sed ad cultum externum etiam dies festi, et cerimoniae sacrae referuntur. Et illi quidem non ita sunt lege naturae instituti, vt quibus diebus, et quoties celebrandi sint, constet; hoc tamen ex his, quae diximus, colligi potest, insignem eos vtilitatem habere, et ad pietatem augendam prodesse. Ea tamen in eorum numero moderatio adhibenda est, ne aut non satis superſit labori ad vitam sustentandam necessario temporis, adeoque, ne aliis naturae legibus repugnent, aut, quoniam omnia nimis frequentia tandem vilescunt, in contemtum abeant.

abeant. Ceremoniae autem, quia eo comparatae sunt, vt rerum sacrarum memoriam instaurent, ipsae quoque vtiles sunt, si sunt huiusmodi, vt eam vim habere possint, et non nimis cumulantur, ne homines, sensuum nimis adsueti imperio, eas per se ad cultum diuinum pertinere putent.

121. Hic autem, de quo exposuimus cultus, vni Deo tribuendus est, quia, praeter eum, nulla natura est, quae eius perfectionem attingat. Vnus enim est Deus, auctor et administrator huius vniuersi. Quorsum enim plures Dii, si vnus hoc vniuersum, id quod ostendimus, efficere potuit? Ceteri certe nil ad nos pertinerent. Et si plures Deos aeque perfectos simillimosque sumas, quot tandem erunt? Nam si duo aut tres esse possunt, nulla ratio est, quare non innumerabiles sint. Quare, qui aliis hunc, quem Deo debemus, cultum tribuunt, grauissime Deum laedunt, et inter seditiosos ciues in ciuitate diuina recte referuntur.

FINIS.

Index Verborum,

quibus magis latina in hoc Opusculo substituuntur.

ABsolute & hypothetice, *simpliciter & cum conditione seu adiunctione.*
Aequipollentia, *Pariatio.*
Affectus, *Commotio animi.*
Anguli continui *continentes, latere communi iuncti.*
- - oppositi, *aduersi.*
Apprehensio simplex, *perceptio & notionum informatio.*
Apperceptio, *Conscientia.*
Apparens bonum, *opinatum.*
Appetitus sensitivus, *animalis.*
Attributa, Conceptus secundi, *Proprietates.*
CAusa materialis, *materia, quae efficienti se praebet, & eius actione fingitur.*
Caussa finalis & formalis, *finis, forma.*
Caussa impulsiua, *impellens, mouens.*
Certitudo, *certum & assensionis firmitas.*
Circulus in demonstrando, *Demonstratio in orbem.*
Circulus in definiendo, *Definitio in orbem.*
Circumferentia, *Extremitas rotunda, circumductus, circumducta, circuitus, ambitus circuli.*
Circumstantiae *loca, tempora.*
Concursus, *caussae iuuantis accessus, accessio.*
Conscientia, bona & mala, *recte maleue factorum.*
Contingens, *fortuitum.*
Continuum, *continens.* De re concreta.
Contradictio, *Repugnantia.*

Con-

Contradictoria, *contraria, repugnantia.*
DEpendere, *pendere ab aliquo.*
Definitio nominalis & realis, *rei & nominis, vel verbi.*
Diametrus, dimetiens, media circuli.
Differentia, *residuus numerus, excessus.*
Dispositio, *habilitas.*
Diuergentia, *Diuaricatio.*
ENunciatio vniuersalis, *generalis.*
Etymologia, *notatio.*
Existentia, *quae sunt.*
FIgura, Forma.
HAbituale, *constans & durabile,* cui opponitur *praeteriens & temporarium.*
IDeae completae, *perfectae, plenae, absolutae.*
- - incompletae, *imperfectae, mancae.*
Imaginatio, *vis concipiendarum imaginum, Phantasia.*
Imaginationes, *visa, spectra, species.*
Immediatae proprietates, *communes, generales & proximae continentesque.*
Impossibile, *ἀδύνατον, quod repugnat, fieri nequit.*
Inclinatio, *Propensio, procliuitas.*
Indiuiduum, *res singularis.*
Indiuidua, *singuli, singula.*
Intellectus, *Intelligentia.*
LIneae parallelae, *aequidistantes.*
- - conuergentes, *coeuntes.*
- - - diuergentes, *diuaricantes.*
MEdia, *Subsidia, Artes, Remedia.*
Mediatae proprietates, *peculiares, remotiores.*
Modi, *affectiones, euenta.*

Moti-

Motiua, *momenta voluntatis, rationes.*

NOluntas, *declinatio.*
Non ens, ἀδύνατον, *species vana vel inanis.*
Numeri homogenei, *numeri similes*, ſ. *eiusdem generis.*
Numeri heterogenei, *numeri dissimiles*, ſ. *diversi generis.*

OBiectum, *quod alicui obiectum est, vel subiectum, in quo versatur.*
Operatio, *mentis actio*, ſ. *munus.*
Oppoſita, *disiuncta, contraria.*
Oppoſitio, *disiunctio.*

PAſſio, *Perpeſſio.*
Polygoniae Figurae, *Multiangula.*
Praedicamenta, *Categoriae.*
Praedicatum, *attributum.*
Praemiſſae *ſumtiones*, *ſumta.*
Productum, *ſumma, quod fit*, *multiplex.*
Proportio, continua & diſcreta, *continens ſeu coniuncta & disiuncta.*
Propoſitio, *Enunciatio.*
Propoſitio maior, *Propoſitio*, minor, *aſſumtio.*
Proprietates propriae, *ſuae.*
Punctum, nota, σημεῖον.

QUadratura, *dimenſio areae.*

REflexio, *Conſideratio rerum.*

SPecies generis, *Formae, partes generis, quae generi ſubſunt, ſubiecta ſunt.*
Syllogiſmus affirmatiuus & negatiuus, *aiens & negans.*
Syllogiſmi conditionales, *ex antecedentibus & conſequentibus, connexi.*

Syllo-

Syllogismi disiunctiui, *ex disiunctionibus, disiuncti.*

TRapezia, *Mensulae.*

VNitates, *singula.*

Vniuersalia, *notiones generum & formarum.*

Errata.

Pag. 165. lin. 28. quadrato, l. parallelogrammo. p. 268. l. 8. Ideis, l. ideas. p. 276. l. 14. relati, l. veluti. p. 277. l. 26. operam, addi dare. p. 289. l. 17. lateribus, l. quadratis. p. 299. l. 15. quos, l. quas. p. 300. §. 68. deleat. n. 2. p. 301. l. 10. conclusio, add. cum sumtis. p. 312. l. 13. aliqui, l. atqui. ib. l. 16. quam, l. quem. p. 333. l. 3 num, l. nam. p. 338. l. 20. eae, l. ea. p. 341. l. 19. rectae, add. perpendiculares. p. 367. l. 8. consentit, l. consentiat. p. 375. l. 24. ridiculem, l. ridiculam. p. 386. l. 6. ante, l. aut. p. 387. l. 30. opplenti, l. opplent. p. 388. l. 30. illos, l. illas, p. 403. l. 28. trahitur, l. trahit. p. 475. l. 20. causa, l. causae. p. 494. l. 25. debetur, l. debet. p. 511. l. 7. actionibus, l. actiones. p. 550. l. 28. ipsi, l. ipso. p. 579. l. 21. qui, l. quae. p. 581. l. 28. aduersa, add. fertur. p. 595. l. 15. sunt, l. esse. p. 605. l. 3. adeo, add. non. p. 630. l. 29 sunt, l. possunt. In Parte prima p. 39. l. 2. verba: numerans & index, permutanda sunt. p. 47. l. 10. adiicitur, add. duplum &c.

)o(



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0485
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0486
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0487
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0489
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0490
DFG

Tab. IV.

Fig. 58.





Fig. 59.



Fig. 60.





Fig. 62.



Fig. 63.



Fig. 61.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0491
DFG

Tab. V.

Fig. 65.





Fig. 64.

Fig. 66.





Fig. 67.



Fig. 68.

Fig. 69.



fig. 70.





Fig 71.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0493
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0494
DFG

Tab. VI.



Fig. 72.



Fig. 73.



Fig. 74.



Fig. 75.



Fig. 76.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0495
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0496
DFG

eritoque referri. Quare
iam actiones, vel ab animi,
oficiſci poſſunt, recte vni-
in duo genera, alterum
continetur, alterum ex-
Ex ipſa autem cultus
igi hoc poteſt, ſine ex-
n, externum autem ſine
verum cultum eſſe non

iones ſuſcipiendas diui-
ogitatio cohortari nos
neris ſunt. Nam aliae
lato Deo, et ipſae tol-
iamſi nulla natura eſſet
nus ſuſciperentur. Ad
it, amor Dei, reuerentia,
e; huic autem ſubiectae
ſunt, quae libertati hu-
e, bibere, laborare, de-
perantem eſſe, liberos
dem actio diuerſis de
arum alia aliis grauior eſt
n male, quicquid eſt vir-
ſes diſtribuatur, natura-
carum et chriſtianarum.
ertinent hae, quas ob
n actionum aut humana

y etiam

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 033
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A5 B5 A2 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn814420362/phys_0501
DFG